



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex  
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &  
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium  
similitudinibus conscripta ...**

**Duplan, Theodore**

**Ruraemundae, 1663**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12221**







X. x. XI. 4.


X  
19

Th. 5791.






































# S Y M B O L A TRINITATIS, I D E S T,

*Trinitas diversarum rerum, ex Veteris ac Novi Testamenti  
Scripturis, Historijs & exemplis; nec non congruentioribus  
rerum naturalium similitudinibus conscripta: ac brevissimè,  
hoc est, tridistichis, ad ejusdem Augustissimi in Deitate my-  
sterij majorem venerationem, & gloriam concinnata; vel a-  
lium pium sensum accommodata.*


A U T H O R E

R. P. THEODORO CANDIDO,

Sacri ac Canonici Ordinis Sanctæ Crucis in Domo Mo-  
facensi Priore, ac Scholarum Præfecto.

SUB FINEM ANNI M. DC. LXIII.

*Societatis Iesu Paderbornæ. 1683. ex legato  
Celsi Principis Ferdinandi Episcopi  
Paderbornensis et Monasteriensis.*



RURÆMUNDÆ

APUD LEONARDUM OPHOVIVM, IN FORO.



Arist. lib. de cælo & mundo :

*Omnia enim sunt tria &c. & secundum istum numerum tenemur magnificare Deum Creatorem remotum a modis Creaturarum.*

Chrysof. Homil. in illud Apost. *Cum autem subjecta fuerint illi omnia. Tom. 4. pag. 618.*

*Quandoquidem Fratres adorabilis illa Trias, regalis illa dignitas, immaculata natura, indominabilis dominatio, in ternario gloriam habet, & veneratur Deus ternarij prædicationem in terrâ, & virtutum numerum, quod numero Sanctiss. Trinitatis respondeat &c.*

August. lib. 11. de Civitate pag. 24. in tit.

*Trinitas divina per omnia sua opera significationis sue sparsit indicia.*



EPISTOLA NUNCUPATORIA

A D

Prænobilem ac Generosum Virum

D. GUILIELMUM

B O R M A N

DE GRATHEM &c.

*Archiconfraternitatis SSS. Trinitatis &c. In Ecclesiâ S. Crucis, ac S. Iacobi Mosaci, Præfectum ac Protectorem.*

GENEROSE DOMINE.

**C**um operam ac diligentiam suam ij, qui novum aliquod librarium opus, suo, ut dicitur, Marte cuderunt, præstantibus viris, quos ornare, aut quibus accepti beneficij memoriam testari volunt, soleant nuncupare; minimè diu mihi deliberandum fuit, cui potissimùm hanc collectaneam opellam,

noti

A ij

velut



apiculæ stimulatus aculeo dedicarem. Non enim inficias eo, favoris me tui stimulis, Generose Domine, ad concinnandos hosce mellis favos haud mediocriter incitatum. Triplici vindicas titulo, præripis alijs, meamque collectam, tuam facis. Primò singulari erga hoc, necessitate tam medijs quàm præcepti primum, atque augustissimum fidei mysterium devotione, quæ tam Spiritûs Sancti singulari providentiâ, quam DD. Confratrum plausibilibus semper votis, Archifraternitatis nostræ Sanctiss. TRINITATIS Te Protectorem fecit dignissimum, ut meritò tibi canamus.

*CVLtor honorandæ trIaDIs, ter DignVs honore es.*

Deinde eximiâ rarâque, Christianorum sub gravissimo Turcicæ Tyrannidis jugo gementium, commiseratione; nec  
non



NUNCIATORIA.

non perpetuâ , eâq; liberali redivitûs annui  
 in lytrum dictorum captivorum ( ut taceã  
 hebdomadalis missæ pro salute fodalium )  
 fundatione. Tertio ( præteritis in alios pau-  
 peres quamplurimos beneficijs ) effusã in  
 nos liberalitate , quã divinum cultum ad  
 SSS. Trinit. gloriam non mediocriter au-  
 xisti, ac pauperes hujus domûs Mosacen-  
 sis vexillo Crucis insignitæ, omnibus per-  
 spectam inopiam sublevasti : quæ benefi-  
 cia sigillatim commemorare supervacane-  
 um, vel etiam tuæ forsan humilitati ingra-  
 tum foret, juxta Neoterici Poëtæ versi-  
 culum.

*Munera ne numerâ, miseris quæcumque dedisti,  
 In cælis numerat, munerat illa Deus.*

Quocirca dum hodie plerique summo  
 animi fervore, extremã nervorum con-  
 tentione, industriã incredibili terrenis,  
 prô



## E P I S T O L A

prò dolor! nimirum immerſi curis, queſtui, corradendis que opibus indulgent, vix Dei, vix in pauperes beneficentiæ memores, etiamnum benevolentia univerſa naturâ debita, propemodum oblivifcuntur: tibi animitus, eam plurimis benefaciendi mentem præ eiſdem cælitus afflatam, gratulamur.

Excipe ergo, quo nos complecti ſoles, affectu, Generoſe Domine, hanc intentionis noſtræ concinnatam favo mellis cellulam. Hic enim ſcopus noſter eſt, ut collectis, ac decerptis paſſim ex ſcripturis, Sanctorum vitis, rerum naturalium ſimilitudinibus, quibuſdam veluti floſculis corollam exiguam in honorem SSS. Trinitatis contexamus, & modicum mellis, ſanioris maximè palati hominibus, propinemus; quo modicum cum Jonatha (melio-

re



NUNCIATORIA.

re tamen forte) delibato mentium oculi ad cognitionem obscurissimi mysterij inclarescant, ac mentes frigidiores, amore summi illius boni, incalescant, quemadmodum I. Reg. xiv. videre licet, Jonathæ oculos gustato mellis favo illuminatos; vimque caloris quamdam melli inditam, rerum naturalium scriptores tradidère.

Et dum tibi, tuæque Amantissimæ Conjugi Illustri Dominae Elisabethæ Puytlinck, natura liberos ac pignora invidet, novo quodam ac securiori ad salutem, liberalitatis vestræ foetu pignora Deo gratiora, cælo procreate. Si desint, natura quos edit, liberi, libertate ab innumeris erga ejusmodi liberos curis, & quod gravissimum, a reddendâ Deo ratione expediti, gaudetis, imò amplissimam exercendæ liberalitatis in pauperes, vera Christi pignora,

ra,



EPISTOLA

ra, segetem ex eâ sterilitate cumulatis, ut silentio premâ hujus sæculi in deterius vergentis malitiosam indolem, in parentes rebellionem, in luxum profusionem, quam suo olim sæculo Horatius gradatim ac graphicè versiculis hisce paucis expressit.

*Damnosa quid non imminuis dies? | Nos nequiores, mox daturos  
Ætas parentum, pejor avis, tulit | Progeniem vitiosorem.*

Hoc medicamine naturæ invidentis morbum solare, GENEROSE DOMINE, solito favore nos prosequere, ac sequentibus Chronometricis parergis, ab anno præsentis sæculi climacterico & Critico, æternùm vive ac Vale.

*Ex Domo nostrâ S. Crucis Mosaci, pridie  
S. Theodori Mart. 9. Novemb.*

Prænob. ac Generosæ Dominationis vestræ Humillimus in Christo Servus

F. THEODORUS CANDIDUS  
Ordinis S. Crucis Religiosus.







oeDeVqrepMesILOsssoLiseMperqVeDeo  
eDeVqrepMesILOssossoLiseMperqVeDe  
DeVqrepMesILOssonossoLiseMperqVeD  
eVqrepMesILOssononossoLiseMperqVe  
VqrepMesILOssonohonossoLiseMperqV  
qreqMesILOssonohthonossoLiseMperq  
repMesILOssonohthethonossoLiseMper  
epMesILOssonohthesethonossoLiseMpe  
pMesILOssonohthesVsethonossoLiseMp  
MesILOssonohthesVaVsethonossoLiseM  
esILOssonohthesVaLaVsethonossoLise  
sILOssonohthesVaLaLaVsethonossoLI  
ILOssonohthesVaLaLaLaVsethonossoLI  
LossonohthesVaLaLaLaLaVsethonossoL  
ossonohthesVaLaLaLaLaLaVsethonosso  
ssonohthesVaLaLaLaLaLaLaVsethonoss  
sonohthesVaLaLaLaLaLaLaLaVsethonoss  
ssonohthesVaLaLaLaLaLaLaLaVsethonoss  
ossonohthesVaLaLaLaLaLaLaLaVsethonoss  
LossonohthesVaLaLaLaLaLaLaLaVsethonoss  
ILOssonohthesVaLaLaLaLaLaLaLaVsethonoss  
sILOssonohthesVaLaLaLaLaLaLaLaVsethonoss  
esILOssonohthesVaLaLaLaLaLaLaLaVsethonoss  
MesILOssonohthesVaVsethonossoLiseM  
pMesILOssonohthesVsethonossoLiseMp  
epMesILOssonohthessethonossoLiseMpe  
repMesILOssonohthethonossoLiseMper  
qrepMesILOssonohthonossoLiseMperq  
VqrepMesILOssonohonossoLiseMperqV  
eVqrepMesILOssononossoLiseMperqVe  
DeVqrepMesILOssonossoLiseMperqVeD  
eDeVqrepMesILOssossoLiseMperqVeDe  
oeDeVqrepMesILOsssoLiseMperqVeDeo



honore es

honore es

s Vngl Drets l Da lrt æ tr la D lster D lgn Vs  
 Vngl Drets l Da lrt æ Dæ tr la D lster D lgn V  
 ngl Drets l Da lrt æ Dn Dæ tr la D lster D lgn  
 gl Drets l Da lrt æ Dnan Dæ tr la D lster D lgn  
 l Drets l Da lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 Drets l Da lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 r ets l Da lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 e ts l Da lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 t s l Da lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 s l Da lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 l Da lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 a lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 r t æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 a lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 D alrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 l Da lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 s l Da lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 t s l Da lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 e ts l Da lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 r ets l Da lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 Drets l Da lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 l Drets l Da lrt æ Dnar an Dæ tr la D lster D lgn  
 gl Drets l Da lrt æ Dnan Dæ tr la D lster D lgn  
 ngl Drets l Da lrt æ Dn Dæ tr la D lster D lgn  
 Vngl Drets l Da lrt æ Dæ tr la D lster D lgn V  
 s Vngl Drets l Da lrt æ tr la D lster D lgn Vs

honore es

honore es



100

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Commissio Reverendis. P. Generalis.

**A**d. R. P. Provincialis. *Librum quem mihi examinandum & approbandum obtulit R. P. Prior Mosacanus inscriptum Symbola Trinitatis Tuæ industria examinandum & approbandum committo. Laudo viri laborem & singularem devotionem, quam erga SSS. Trinitatem gerere dignoscitur: simulque opto ut ex hoc labore amor, & cultus summi mysterij in cordibus fratrum sacri ordinis nostri omniumq; fidelium succrescat. Datum in visitatione nostra Domûs Bruggensis Anno 1663. 30. Septembris.*

F. NICOLAUS DE HANNEFFE  
Magister Generalis Ord. S. Crucis.

Consensus Adm. R. P. Provincialis.

**E**x commissione Reverendissimi Patris Nicolai de Hanneffe Generalis totius Ord. S. Crucis examinavi, & a viris doctis diligenter examinari feci librum intitulatum Symbola Trinitatis, Authore Adm. R. P. Theodoro Candido in Provinciâ nostrâ Mosaci Priore ac Scholarum ibidem Præfecto: & sum ea quæ liber continet utilia, ac luce digna examinatoribus sint visa, ut pote, quod Creatorem per ea quæ facta sunt, intellectum doceat conspici, ac Trinitatem intelligi, qualiter ejusdem in Creaturis appareat imago vel vestigium. Hinc in præsum, suppositâ, ut juris est, approbatione D. Censoris consentio. Datum Ruræmundæ 18. Septembris 1663.

F. GUILLIELMUS BEECK  
S. T. B. Ord. S. Crucis per tractum Mosæ Provincialis, ac Domûs Bruggensis Prior &c.



## CENSURA.

**N**Os Eugenius Albertus Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Ruræmundensis, *Hunc Librum cui titulus Symbola Trinitatis perlegimus nihilque fidei repugnans, aut bonis moribus contrarium invenimus: sed suis Symbolis tanquam Cymbalis metricè, bene sonantibus fidelium mentes ad cultum ac venerationem S. S. S. Trinitatis excitare. Cùmque hunc obscurissimo fidei Mystério ac nobis ad S. S. S. Trinitatem tendentibus præferat, luce dignum censemus. Datum Ruræmundæ 21. Novembris 1663.*

**EUGENIUS ALBERTUS** Epif. Ruræmund.

De mandato Illustrif. & Reverend. Domini.

A. van WERTHER.



# PROLOGIUM

*De diversis Hæreticorum erroribus ; Philosophorum opinionibus ; nec non quibusdam alijs , circa Sanctiss. Trinitatem observationibus.*

**A**nchoram navigy ad pelagus incomprehensibilis in Deitate Trinitatis sublaturus, operæ pretium visum est, in portu, quâ ratione de sublimi hoc mysterio tractare, nostrum institutum sit, præmittere.

In primis id factum dabo, ut ratem naufragio non exponam. *Ezechielem* imitabor (a) qui Angelico morem gerens jussui, profundum ingressurus torrentem, principio vix madefaciens talos, ulterius procedens ad genua aquam excepit ; paulò post ad renes : cum ulterius vellet, aqua tantoperè intumuit, ut ob submersiois metum regredi sit coactus. Idem tam mihi quàm omni humanæ menti in cymbâ hujus mortalitatis commoranti, si torrentem Deitatis, ingenij nostri capacitate, urinari nitamur, contingit. In principio, sive primâ cognitione alicujus numinis, facillimè, ac præter metum in aquam simplex intelligentia descendit. *Communis notio* ( verba sunt S. Basilij lib. i. cont. Eunom. ) *esse Deum, non autem quid sit, nobis suggerit.* At dum ultra inquirentes pergimus, quid *Deus* sit, & ad hoc cognoscendum, animum pro captu intendimus, difficultatem experimur, ascendit aqua; veruntamen ad talos dumtaxat, si modò noverimus

B

mus

(a) cap. 47.



mus per subtractionem demere dedecentia, & addere decentia. Quemadmodum S. August. (a) tradidit dicens: *Quod non invenimus in meliore nostro, non debemus in illo quærere, quod longè melius est meliore nostro, ut sic intelligamus Deum, si possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine intelligentiâ Creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ullâ sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem.* Et pridem Plato: (b) *Quid Deus sit, non novi, quid non sit, novi.* Nam scio non esse colorem, nec quippiam hujus generis, sed his præstantiorem esse intelligo. At Arist. lib. XI. *Metaph. Deus est animal sempiternum & optimum. Socrates; est mens universi. Deus est quicquid vides totum; quicquid non vides totum.* Et alius: *est quo nihil melius aut majus excogitari potest.* Sed enim dum ulterius incedimus, ut unum solum, verum Deum percipiamus, scrupedi sumus; aquæ intumescunt magis; necdum tamen tam profundè, ut lumen intellectus suffocent. Unde hæc veritas varijs quidem popularibus erratis fuit apud Gentiles implicata, dum ex ijs quidam effingerent sibi plures Deos; at sapientiores, non nisi unum Deum esse, nec plures posse, sibi persuaserunt; imo multitudinem varietatemque Deorum Romanensium irriserunt. Oenomaus Philosophus lib. de falsit. oracul. apud Euseb. lib. v. præp. Evang. cap. xv. Ita scribit: *Triginta Deorum millia in terrâ esset censet Hesiodus; ego autem mul-*

to

(a) Lib. 1. de Trinit. Cap. 1. (b) Plato in Tym.



to plures lapideos, atque ligneos hominum Creatores, ac Dominos, esse video. De uno Jovis nomine Tertul. Apolog. cap. xiv. ex Varrone ait; Romanus Cynicus Varro xxx. Ioves introducit. Minutius in Octavio; & ne longius multos Ioves obeam, tot sunt Iovis monstra, quot nomina. Sed Aristoteles pluribus locis declarat, non esse, nisi unum primum Ens, unum primam causam, unum primum motorem &c. Exstat & illud ex oraculo Sibyllæ Erythreæ: *Vnus & æternus Deus*. Ideoque (a) lactantius neminem esse dicit, qui si rationem consulat, non, unum esse Deum, intelligat. Idque probat toto libro ex Platone, alijsque Philosophis. Et Iustinus lib. de Monarchiâ Dei docet in hac parte Platonem & Socratem fuisse Christianos. Denique concludit Irenæus (b) unum esse Deum naturaliter posse cognosci. Porrò si captus infirmitatis humanæ necdum subsistat, sed penitiùs divinitatem tentat inspicere, atque Trinitatem personarum in unitate essentia vestigare, offendit difficultates laboriosissimas, aquæ torrentis ita insurgunt, ut si per profundissimum transvadare contranitur, in præsentissimum submersionis periculum sese conjiciat. Hicmersus est Arrius, dum secundam personam esse æqualem primæ sibi persuadere non potuit. (c) Hic absorptus est Sabellius, Hermogenes, Praxeas, Noëtus, quorum meminit D. Aug. lib. i. de hæres. cap. xli. Paulus Samoset. & Photinus apud Hilarium de syn. Michaël servetus, Gene-

B ij.

væ

(a) Lib. 1. c. 3. (b) lib. 1. c. 25. (c) Epiphani. hæres. 69.



Anno 1555. combustus, cum multis affectis, quos nactus, ac secum in malam frugem pellexit, nullam in Deo personalem distinctionem admittentes. Hic miserè naufragati sunt Macedoniani & Eunomiani, quorum vox erat, Spiritum S. Peregrinum & ad-scriptitium, non verum esse Deum. (a) Hic miselli Valentiniani cum suo mendo, quo Spiritum S. quendam esse Angelum mentiebantur, sunt suffocati. (b) Hic denique quam plurimi alij, etiam in præsentia consumuntur, ut sunt Judæi ac Mahometani in Asia, Schismatici in Africâ, Pagani in Indiâ, novi Ariani, novique Samosetani in Europa; & præsertim Transilvani illi temporis moderni, qui, ne tres personas, unum in essentiâ confiteantur, *Quaternitatem* potius in divinis, quam *Trinitatem* amplectuntur: Quod *Essentia*, *Pater*, *Filius*, *Spiritus Sanctus*, quatuor sunt distincta nomina, quæ quatuor etiam res distinctas significant. Quæis pro satisfactione serviret, & plus quam sufficeret, quod respondat *Ansel. lib. de incarn. verbi Cap. v.* Tres personas esse tres res & unam, tres relativas & unam absolutam; & ideo distincta ista nomina non significare quatuor res, sed unam, si de re absolutâ sit sermo, vel tres tantum, si de relativis. Sed hæc per Parenthesin; Quia extra propositum longiùs sunt allata. Illud ipsum dictum statutumque manet, dum hi vastum Oceanum divinæ Trinitatis, sapientiâ suâ arrogantem tranare fategerunt, in Scyllas & Charybdes, vortices atque

(a) *Nazian. Orat. de Theol.* (b) *Atha. ad Serap.*



atque voragine præproperè incidentes, cum ratibus suis pèssum-ière, ter deplorando naufragio miseri miserimè perière, aquis, flammisque æternùm abrepti & absorpti. Ita ut illorum exemplo, quod didicerunt Seriùs, nos sapientes maturiùs, monita *Aug.* meritò audiamus, tanquam parentes filij, dum ita consulit.

(a) *Cum modestià & timore agendum est, & attentissimis auribus atque devotis audiendum, ubi quæritur unitas Trinitatis, Patris, Filij & Spiritus Sancti: quia nec periculosiùs alicubi erratur, nec laboriosiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid invenitur.*

*Et lib. vij. de Trinit. circa finem, cum disputasset, quomodo tres personæ sint una essentia, & removisset omnes similitudines, quas invenire poterat, accommodatiores, conclusit: Quod si intellectu capi non potest, fide teneatur, donec illucescat in cordibus ille, qui per Prophetam ait: Nisi credideritis, non intelligetis. Hinc demoveor; hinc est quod satiùs esse judicem torrentis profundo cedere, ac submissè credere, & adorare mysterium inscrutabile, quàm illud cum periculo curiosiùs scrutari.*

Et hæc est præmonitio, cujus Lectores placuit certiores reddere, ne fortè opellam hanc ad ea conari autument, in quibus *Athanasij, Basilij, Nazianzeni, Didymi, Hilarij, Augustini, alijque PP. & DD.* nullis repertis limitibus sunt angustiati; in quibus plures hallucinati. Absit ut scapham exiguitatis nostræ torrenti tam rapido exponamus.

B iij.

namus.

(a) *Lib. 1. de Trinit. cap. 3.*



namus, tantorum virorum cum discriminibus, tum exitijs absterriti. Quocirca de *Trinitate* non Philosophabor, seu definiendo seu demonstrando *Quid sit*, sed quam sedata ac sensata menti sit intelligibile, *Quod sit*, & in quibus id perceptibile, præmonstrabo. De quo etiam secreto cujus intelligentiæ Sapientiores præscarum gentium fuerint, colligit, qui legit *August. lib. vij. Confess. cap. ix.* ubi testatur, se principium Evangelij S. Joannis in libris Platoniorum legisse. Et *lib. x. de Civitate cap. xxij. Vbi etiam commentator (a)* sequentia addit: *Et princeps disciplinæ suæ xeno, Logon, dicit fatum, & necessitatem, & Deum, & animum jovis. Sed Plato apertius videtur locutus: Nam in 6. de repub. Socrates cum satis sibi de ipsius boni naturâ videretur disputasse, putaretque majorem esse rem, quam ut posset dicendo explicare, inquit: Verum quid ipsum bonum sit, Beati viri, in aliud tempus differamus. Majus enim mihi videtur, quam ut hac intentione animi consequi possimus. Quod vero hoc tempore malim explicare, illud est, quid sit boni ipsius filius, simillimus illius; si modo id quoque vobis libet: Nam alioquin relinquamus. Hoc loco glauco velle se declarat: nam dicendi de patre, aliud futurum dicit commodius tempus. Tum Socrates de partu & filio boni disputaturum se præfatur; & post paucas interrogationes, ait; Bonum esse solem quemdam, filium ejus esse velut vim videndi, quam a sole habemus. & in Epist. ad Hermiam: Jurantes, inquit, studio musis apto & sorore studij erudi-*

(a) Ludov. a vivis expurgatus.



ruditione, per Deum Ducem omnium, quæ sunt, quæque futura sunt: itidem per Ducis & causæ omnium patrem Dominum. Et in Epinomide meminit sermonis omnium divinissimi, a quo dicit mundum constitutum. De quo sunt ea quæ sequuntur. Hunc sermonem vir sapiens cum est admiratus, accenditur amore ut intelligat, quomodo futurus est beatus, & vivens, & post vitam. Plato igitur Patrem apertis posuit verbis, filium quoque, at tertium illud nullâ ratione vocis posse putavit enuntiari: & si in ordine gradibusque divinitatis mundi animam, quæ est tertia, & postrema, a principio, & Filio principij mente, profectam existimat. Animam vero mundi si quis impensius Platoni faveret, posset facere defendere illum esse Spiritum, qui ferebatur super aquas: quem videntur illi facere fufum per molem universitatis, omnibus vitam essentiamque impartientem. Et hæc sunt in divinitate terna, de queis ad Dionysium ænigmaticos, ut præfatur, scribit: *Circa omnium Regem cuncta sunt, & illius causa sunt omnia; eaque causa est bonorum omnium: Secunda vero circa secunda, tertia circa tertia.* Hæc ille. Prætereo quæ sunt apud Mercurium Trismegistum, quæ passim ut tritissima circumferuntur: *Monas genuit Monadem & in se ipsum reflexit ardorem.* Non possum tamen responsum Serapidis præterire, qui consulenti Thuli, qui in Ægypto regnavit bello Trojano, quisnam esset se beator, fertur dixisse.

*Principio Deus est, tum sermo & spiritus istis*

*Addi-*



*Additur, æquæva hæc sunt, & tendentia in unum.*

Et Orpheus:

*Te, Cælum testor, Sapiens opus omnipotentis,*

*Te, Verbum Patris, juro, quod protulit ipse.*

*Zoroastes Chaldæus; toto, inquit, in mundo lucet Trias,  
cujus monas est princeps, quæ genuit duadem.*

*Aristotelem etiam Plotinum, aliosque hujus cognitio-  
nis participes fuisse nonnulli fatentur, hoc sapientiores  
istos uti potuisse autumantes modo sciendi. Non est  
Deus nisi ipse sit bonitas, ac proinde totus diffusivus &  
communicativus sui ipsius, atqui communicari potest  
potentiâ suâ non modo rebus sibi externis, verum eti-  
am per intellectum & voluntatem extra se non egredi-  
endo, ergo idipsum fecisse credendum est, & se com-  
municando quandam personarum, quæ in essentiâ  
identificatæ sunt, productionem haberi. Pet. Cottonis.  
Conc. i. de SS. Trinit.*

Si hic obstet assertio, in quâ apud D. Tho. i. p. q. 32.  
art. i. consentiunt Theologi omnes; *ratione naturali non  
esse divinarum personarum Trinitatem cognoscibilem. Resp.  
Philosophi illi, si quid dixerint, quod ad hanc rem facit,  
tam obscurum id fuit, ut locutos potiùs eos, quàm in-  
tellexisse, existimare par sit, ut inquit commentator apud D.  
Aug. supra. Ac si quid de Trinitate sunt locuti in testi-  
monium venturæ pietatis; dixisse ad sectatores suos  
Magistrorum sententiâ premendos. Unde etiam, ut  
colligit S. Aug. loco citato, liberis verbis loquuntur Phi-  
losophi*



losophé illi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis of-  
fensionem Religiosarum aurium pertimescunt, Nobis e-  
nim Christianis ad certam Regulam loqui fas & lex est,  
ne verborum licentiâ impiam gignamus opinionem. Seu  
etiam alijs respondere placet, sapientes illos lumine ex-  
cellentissimo naturæ multum adjutos, ab Hebræis, & ex  
scriptis Prophetarum, Moyſis præsertim, qui omnibus  
Philosophis antiquior, umbram aliquam hujus veritatis  
eminens hausisse. Notat id enim *D. Augustin. lib. 18. de ci-  
vitate cap. 36.* Hinc Plato *Moyſes Atticus* legitur cogno-  
minatus. Vel per divinas aliquas revelationes plurimum  
didicisse, censet idem *Aug. lib. cit. cap. 23.* & in specie de  
Sibyllis, seu inter eas, de Erythreâ, & cum Augustino  
plures alij: seu etiam per documenta nonnumquam dia-  
bolica. *Vide Jul. Mazarinum conc. 119. super Psal. 50.*

Verum certæ fidei luce suppositâ, aliquam veri Uni-  
us ac Trini Dei notitiam a quovis facillè comparabilem  
esse, insinuat *Apostolus Rom. 1. Invisibilia enim ipsius a  
creaturâ mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur,*  
*sempiterna quoque ejus virtus ac Divinitas.* Clarius Ecclesiæ  
lumen *S. Augustinus*, tum alibi, tum *lib. 6. de Trinit. cap.  
postremo; Oportet ut Creatorem per ea quæ facta sunt intelle-  
ctum conspicientes, Trinitatem intelligamus, cujus in Creatu-  
râ, quomodo dignum est, apparet vestigium.* Sed quia vesti-  
gium, velut per speculum & ænigma cognoscimus,  
quemadmodum se vidisse profitetur sponsa in canticis,  
dum ait: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fe-  
nestras;*

C

nestras;



nestras, prospiciens per cancellos. Quis autem iste paries? quæ  
fenestræ? qui cancelli? cælum, Angeli, homines, om-  
nesque aliæ creaturæ, vestigia, atque imagines Dei. Om-  
nes res suâ pulchritudine dispositione, varietate, & mi-  
râ inter se connexionem ac ordine, ostendunt Creatorem  
suum, uti sapiens ait: *a magnitudine speciei & Creatura,*  
*cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Trismegistus di-  
cebat, mundum esse librum divinitatis & speculum divi-  
norum, in quo Deus seipsum velut in tabulâ, quasi sum-  
mus Appelles, adumbravit, & quædam sui lineamenta  
expressit. Et, quod neque in divinâ providentiâ celebra-  
ndum sat est, nulla a Deo res extat producta, quæ ima-  
ginem quoque ejus *Sanctæ Trinitatis* non exprimat. *Om-  
nia in Trinitate; numero, pondere, mensurâ creavit & ordina-  
vit Deus,* verba sunt *Cornel. a Lap. præfat. in Isa.* Quin  
hæc sit sapientissima Dei dispensatio, qua semper & ubi-  
que obliviosæ nostræ & oberrantes mentes, ceu funibus  
quibusdam in ipsius recordationem ac venerationem  
traherentur, minimè est ambigendum. Ut enim a Pe-  
dagogio, vel ab Elementarijs exordiar, cui Abcdario  
per litteras suæ tabellæ v. g. A. &c. secretum illud sym-  
bolicè non valet institutor ejus depingere? cui triviali e-  
jusdem Nomenclator, per Mono-syllabas trilitterarias  
V. G. *Ens, Rex, Dux, Lex, Sol, Lux, Fax, Via &c. I-  
tem Ego, Sum, Qui, Sum,* idem nequit præstare? cui non  
Grammatistæ in sui exigui sciblis obiectis v. g. in Prono-  
minibus *Ego, Tu, Ille,* quæ sunt tres personæ in uno sin-  
gula-



gulari numero? Cui ad eundem modum non Poëtæ in uno, ut vocant pede trium Syllabarum; item cui non Rhetori, Philosopho, Mathematico, Medico, Leguleio, Theosopho, vel etiam artificij cuiuscunq; artis, per objecta, instrumenta, officia, status, tempora, sexus, ætates per omnia inquam & singulâ, tam sacra quam profana, tam spiritualia quam corporalia, omnifariâ scrutinium instituendo, ut in divisione 3tiâ specialiter compertum dabo. *Tria enim sunt omnia*, inquit *Philosophus*. (a) In omni corpore Trinitas est, Materia, Forma, Proprietas. In omni spiritu Trinitas est, Natura, Potentia, Operatio. Attollite dumtaxat oculos cum exiguâ ingenij portione, in quacumque re Trinitatem agnosceatis; In esse Elementorum, compositione corporum, formâ vegetativâ herbarum, sensitivâ animalium, rationali hominum, simplici intelligentiâ Angelorum. Omnia Trinitatem deprædicant, ita ut ex ore psalmographi audacter pronuntiem: (b) *Cæli enarrant gloriam Dei*, videlicet Unius ac Trini; velut dicerem, omnia quæ in cælo sunt, & quæ infra cælum, sunt quidam liber revolutus, & ab ipso Deo explicatus, Schola quædam, in quo, & in quâ ter Sancta Trinitas legitur atque docetur. Quocirca etiam *Plato* (c) censuit mundum factum esse per cubum ternarij, puta per 27. in quo omnis harmonia & consonantia consistit; hinc & primitus Angelos trinis ordinibus distinctos, in trinis æquè Hierarchijs Deus creavit, ut in eis primam sui imaginem

C 2

(a) *Lib. 1. de Calo.* (b) *Psal. 18.* (c) *In Tymæ.*



ginem explicaret, nam ter tria sunt 9. ter 9. sunt 27. qui est cubus ternarius. (a) Aristoteles etiam, & Pythagorici, ut in *lib. primo de Cælo & Mundo* videre est, omnium rerum perfectionem, in ternario constituebant, hique numerus in Deorum sacris usurpari solebat, ut latius in Prænotatione divisionis primæ dicitur infra. Et hæc est unicaratio nostra, ob quam in celeberrimo, & quasi semper sacro isto numero symbola nostra fundaverimus, & quæ in eo fundari possint, tum ex scripturis hominum, tum ex naturis rerum in hanc libri cophinum congesserimus.

Tu ergo, o Divina Trinitas, da per gratiam tuam, ut hi novi conatus nostri, sint nova, maiorque laus tua. Da ut in hisce symbolis quæ ex sacris Biblijs, Historijs alijsque tuis creatis desumpsimus, quibus tu te ipsum revelasti, & per multa eorum te nobis depinxisti, te post hac clariùs cognoscamus, sæpius revereamur, constantiùs colamus. Da ut in naturalibus tui vestigijs, ac præsertim in tui imagine, quam nostræ animæ impressisti, devotè te intueamur. In memoriâ æterni Patris ubique recordemur, in intellectu divinû Verbum sapiamus; in voluntate spiritum ab utroque procedentem perenniter diligamus. Da ut quicunque opera hæc de te, ac tua symbola sunt lecturi visuri atque audituri in tui amorem accendantur. Da ut e mentibus nostris proscribatur imposterum ignorantia, & negligentia, finemque accipiant

(a) *Cordel. a Lap. l. 6.*



pian omnia nostra tui oblivia. Sed hac occasione ubique te confiteamur, semper celebremus, in cunctis laudemus, omnes uno ore parique concentu tibi iugiter modulemur in terris; *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*: atque hac laude mereamur te frui in cælo, & in te vitam & gloriam sempiternam possidere, ut cum Seraphinis, aliisque Angelorum myriadibus in omnes æternitates jubilemus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Hoc da o ter Sancta Trinitas, o Trina Unitas, cui hoc opus offero, non ut meum, sed refero, ut tuum, tu omnia es, & omnia nostra tua sunt; & quod meum est, seu humanum, si erratum, emendatiori Ecclesie judicio summissum reservo. *Hæc vos meos Lectores volebam. Valete, si merear favete, meique memores apud Deum Trinum & unum estote.*

SYLLA-



## SYLLABUS LIBRI

**U**T clarius contentum, undaque libri intentum percipiantis, Lectores mei, placuit rem tractatam & modum procedendi, cum motivis causis poësim scribendi hic breviter appendere. Rem tractatam seu materiam indicat titulus ipse: Symbola Trinitatis &c.

Modum procedendi observavi, quem commendat Legislator noster S. August. lib. 1. de Trinit. primo ex veteris & novi testamenti scripturis, deinde exemplis & historijs maximè sacris, denique ex rerum naturalium similitudinibus Symbola adducens.

Et quia Sanctiss. Triadis novellam gloriam labor spectat & exspectat; hinc in omnibus introducere atque exprimere trinitatem satagi. Ideoque tres partes sive divisiones principales, & ad eundem modum tres subdivisiones sunt factæ, & sic omnia alia consequenter in triade fundantur.

Si fortè reprehensionem incurram, quod Poësim pro re tam venerandâ sim sectatus, utpote (ut fors quidam putant, ) non sat commendabilem; contra statuere possem id, quod Aristoteles in Poëticis asserit. Poësim Sapientiolem ac præstantiolem esse historiâ. Sed pro Poësi Apologiam scribere mens non est, prout nec Poëtarum me albo inserere. Rationem autem Senecæ sum secutus inquentis: Quapropter illos præcipuè rei Grammaticæ scriptores probare soleo, qui carmine Regulas complexi, puerorum eo pacto memoriam sublevant. Carmen namque memoriæ valdè conducit, dum faciliùs singula insidunt circum scripta & carminis modo inclusa. Ne tamen dumtaxat pueris, sed & provecioribus operam navasse videriqueam, Symbola ex omni scibili conquiſivi.



Ediverso autem Poëtices genere elegi elegos, qui olim lacry-  
mabiles & flebiles in Poëtis perpetuis epithetis appellabantur;  
postea tamen etiam alijs materijs servire cœperunt, ut testatur  
Horatius de arte Poëticâ sic scribens:

Veribus imparibus junctis querimonia primùm,  
Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Unde sicut modò heroicis metris in gestis Heroum decantandis,  
sic in amatorijs & ijs quæ homines sollicitant, elegiacis versibus,  
utpote, maximè lenibus, & minimè assurgentibus inoffensis, u-  
timur. Scopus verò noster est pius quidam amor, ad quem mor-  
taliùm corda sollicitamus; puta in ter adorandæ Trinitatis ma-  
iorem cultum & venerationem: ad hoc namque me, ceu occultis  
vinculis, atque catenis pertrahi sentio, dum titulum Directo-  
ris Archiconfraternitatis Sanctiss. Trinitatis de Redemp-  
tione Captivorum &c. in sacrâ nostrâ æde Mosicensi ab  
anno 1650. erectæ, præmefero; ita ut titulum sine re, nomen si-  
ne omine (ut aiunt) me habere, ac consequentur nefas & inadi-  
gnè agere judicarem, si non in aliquo eundem cultum, mihi vi-  
derer promoveri.

De eruditione, atque stylo scriptionis parum laboro, defec-  
tum utriusque, intenti pietas (ringantur malevoli) facile supple-  
bit. De ordine non sum sollicitus, quandoquidem S. P. N. Au-  
gustinum sequi malui, quam alium, cuius doctrina etiam per-  
mitti posset. Cui multiplicatio Symbolorum videbitur gravis, li-  
cebit, quot volet, relinquere. Qui plura desiderabit ei integrum  
erit eadem addere, nec invidus, sed libens voto eius subscribam.  
Si mendum aliquod quis offendat, a quo vix ulla scripta libera  
ominino sunt, inhumanus ne sit, veniam mihi nec denegabit.



CONGRATULATIO  
METRICA

Ad Admodum Reverendum, Doctissi-  
mumque Dominum, in Christo  
Patrem,

P. THEODORUM  
REINERI du BLAN,

*Sacri ac Canonici Ord. Sanctæ Crucis in Domo Mosicensis  
Priorem, ac Scholarum Præfectum.*



Edula sicut apis quæ symbola colligis, atque  
In cellâ triplici sub statione locas;  
E pratis decerpta sacris, Divûmque libellis,  
Nec non naturæ fontibus hausta bibo.  
Gratulor obscurum Triadis clarescere Numen,  
Cujus in immensum condita cuncta decus.  
Sunt pia, sollerti sunt concinnata labore,  
In Triadem motus elicitura pios.  
Illa tot obstupeo latuisse Emblemata sæclis,  
Scilicet hæc uni debita laurus erat.  
Hæc ubi succincti in benè tersa Celeusmata legi  
Visa tua in priscam versa Camena Chelym.



In modicis monstrat (sint cætera grossa) tabellis  
Protogenes artem; noscitur ungue Leo.  
Indolis est vestræ sat nota modestia cunctis:  
Nam benè qui latuit, sat benè vixit, ais.  
Nec puto vidissent unquam tua carmina lucem,  
Crebriùs hortatu ni stimolata meo.  
Fortè verecundo monstrares Zoile vati,  
Quos acuis dentes invidiose tuos.  
Quæ suprema Trias fixit vestigia rebus,  
Non novat, at paucis explicat illa metris.  
Si quid inest culpæ fulvi fossoribus auri,  
Naturæ occultas quive recludit opes:  
Est potius laudi dandum diffundere laudes,  
Est Tripotentis opus, pandere mentis opes.  
I licet unde voles hanc impete Zoile navim,  
In nullâ vatem lædere parte vales.  
Unius in Triadis tua tela vibraveris arcem,  
Allatrare Deum te Sycophanta putes.

*Canebat F. A. HERTZWORMS*  
*Canonici Ord. S. Crucis Religiosus.*

D

In



In Symbola Admodum Reverendi,  
Doctissimique Domini P.

P. THEODORI  
CANDIDI,

Canonicorum Regularium S. Crucis Prioris Mosacani &c.

LaVDetVr sanCtIssIMA trIas.



*N*on opus est alij tua, Candide, Symbola laudent,  
Ex se quippe ferunt propriae praeconia laudis.  
Nil magis augustum tellus, mare, novit & aether,  
Quam quod symbolicis perstringis versibus. Hisce  
Theologicè, Sophicè, moraliter, historicèque  
Unius, & Trini, referas arcana Tonantis.  
Ingenitum, Unigenum, procedentemque ab utroque,  
Esse Vnum, Trinumque Deum tua symbola clamant.  
Fallor. Non clamant, sed amant Candoris amorem,  
Nam Candoris amor, virtutis Candor, et ardor  
Immensae Triados mysteria pangere jussit:  
Non ut Apollineus videaris ab omnibus Heros,  
Carminè (a) Virgineo siquidem iam notus es. Vrbi,

*Prae-*

(a) Composuit praedictus author odam in pretiosissimum Tapetem à Pontifice Maximo Alexandro VII. missum Virgini Deiparae in aspero colle. Oblata est ipso Assumptionis Mariae 1662. cum quibusdam alijs acclamationibus, & hoc anno, cum alijs postea factis, typis edita Mechliniae.



*Præsulibus Belgis charus, Vatesque probatus.  
Cætera prætereo, ex uno Leo noscitur urgue:  
Verùm quem nivei Canones, et candida vestis,  
Integritas vitæ, morum, nomenque decorant,  
Candida Candori tua symbola Candide sacras;  
Est etenim æternæ lucis. Quid plura, perennis Sapiens. 74  
Uni laus Triadi, Trinæ Monadique canatur.*

Gloria sit Patri, Nato sit gloria, Sancto  
Gloria Spiritui, sit Tribus unus honor.

*Accinebat F. THEODORUS DEGHEUS,  
Philosophiæ Lector, ejusdem ordinis Canonicus.*

---

PROGRAMMA IN LIBRUM.

**A**ffluit omnigenis velut hortus odorifer herbis,  
Quarum vis medicos plurima sæpè later,  
Emicat in toto sic umbra Tri-unius orbe  
Numinis, in cunctis rebus imago Dei.  
Sed quasi clausa libris, vel sub velamine tecta,  
Quos liber hic aperit, quod removetq; labor

*P. I. B. ejusdem Ordinis Canon.*

DIVI

D 2

PRO-



PROGRAMMA AVTHORIS  
AD LECTOREM

**N**on hic delicias, non Carmina docta requires,  
Non sale conditos, sed pietate sales.  
Non erat armorum, nec erat lusoris amorum  
Materies, deerat sed magis ingenium.  
Quot tituli, tot in hac silvâ deprênde lepôres,  
Symbola quot Triadis, cymbala laudis erunt.



**DIVI**



# DIVISIO PRIMA.

Ex veteris ac novi Testamenti Scripturis  
Symbola & Allegoriæ

## AD SSS. TRINITATEM ACCOMMODATÆ.

### PRÆNOTATIO.

**A**Ristoteles i. de Cælo & mundo: *omnia enim, inquit, sunt tria.* Statimque subdit: *Similiter inquit Pythagorici, quod causæ & res, tribus terminantur mensuris, fine, medio, & principio: & hoc est numerus cuiuslibet, & est demonstrans trinitatem rerum: & non invenimus istum numerum, nisi ex naturâ, & sustinemus ipsum, quasi legem, & secundum istum numerum tenemur magnificare Deum Creatorem remotum a modis creaturarum, & etiam appellamus istum numerum secundum hunc modum &c.* In quem locum Averroes ita commentatur: *testatur hic sermo Pythagoricus, quod tria terminant numerum totius & omnis: totum enim & omnia habent principium, medium, & finem. Et ideo dixit hoc est numerus cuiuslibet, scilicet tria. q. d. quod natura omnium est trina. Deinde dedit aliam rationem famosam, quod hoc fuit causa, ut*  
lex



*lex apud eos præciperet, ut orationes essent tres. aut Sacrificia. q. d. Secundum istum numerum tenemur magnificare Creatorem remotum a modis creaturarum in orationibus, & Sacrificijs. Hęc Averroes. Itaque, ut designarent principium, medium, & finem, referenda esse in Deum, tria in Sacrificijs offerebant prisca; atque tria in cultu Dei ponebant, scilicet adorationem propter reverentiam, thus ob distributionem suavisimæ cognitionis divinæ, & cælestium ac terrestrium virtutum; Hymnum secundum Pythagoram, propter concentum Cæli. Hinc Nicomachus: ter, ait, libant, & ter sacrificant, qui vota sua petunt a Deo consummari. Theocritus. Idyl. 2.*

*Ter Libo, ter & hæc pronuncio mystica verba. Ovid. 3. fast.*

*Ter caput irrorat, ter tollit ad æthera palmas. Similia virg. 4. Georg. habet.*

*Et hoc est, quod commentator quidam, vir doctissimus dicit: quòd Pythagorici omnium rerum perfectionem posuerint in ternario; quòdque hic numerus sit usurpatus in Deorum Sacris, ut probat ex Græco versu qui putatur Magæ, apud Theocritum supra; & ex Virgilio Ecloga 8.*

*Trina tibi hæc primam, triplici divisa colore  
Licia circum da, terque hæc altaria circum  
Effigiem duco: numero Deus impare gaudet.*

*Priscis etiam ternio, absolutissimus, & adeò Sacer erat, ut quicquid ter dictum aut factum esset, id ratum & efficax*



ficax haberetur. *Insuper ternarius ad quascunque controversias dirimentas maxime idoneus est*, ut qui principium, medium, & finem in se continent ait Dionys. Halicar. lib. 3. Quocirca Plutarchus tract. de Pythag. discip. tradit, Unitatem a Pythagoræis Apollinem nuncupari, diada, seu dualitatem litem & audaciam, triada iustitiam, & virtutem, quæ est medium duorum vitiorum. In ternario enim agebant, ipsum Unum, est medium: quasi centrum, & numen, quo æqua distributio regitur, & ad quod quasi finem refertur.

Ex quibus infero. Si prisca ac gentiles illi, quos, si quid dixerint, quod ad Divinæ Trinitatis mysterium facit, locutos potius, quam intellexisse, par est (ut commentator insinuatus supra, loquitur) in Trinitatis numero tantam pietatem exercuerint, quanto potiori jure, nos fidei gratiâ donati, id ipsum facimus? quemadmodum & præ alijs frequentius D. Aug. in suis libris fecisse constat, per variarum rerum trinitatem, admirabile illud mysterium designans, & explicare, vel potius illustrare studens; ut per ista tria in homine, *Esse, Nosse, Velle*, item per alia tria in homine, *Memoriam, Intelligentiam, Voluntatem*. Item per tres partes Philosophiæ, *Logicam, Physicam, Ethicam*. Per tres Magos Matth. 2. per diem tertium in sacris Scripturis multoties. Per tres Viros susceptos ab Abraham, Gen. 18. Per Vaccam Triennem, capram trimam Gen. 15. Per tres Cameras in arcâ Noë, & talia quasi sine numero multa. Similiter S. Chri-



Chryf. divinam agnoscit Trinit. per 3. speciales Patriarchas  
*Abraham, Isaac, Iacob.* Per tres Sacerdotes, *Moyfen, Aarō, Sa-  
muēl.* Per tres Reges *David, Ezechiam, Iofiam.* Item in ho-  
norem SSS. Triadis docet Univerfum esse distinctum in  
tria, puta *cælestia, terrestria, subterranea.* Item in istum fi-  
nem fuisse apud Veteres Unctionem trium, *Prophetarum,  
Sacerdotum, Regum.* Adhæc trecentos Viros qui non linguâ  
lambuerant aquas, sicut canes solent lambere, sed ma-  
nu ad os proijciente; ideoque solùm erant assumendi ad  
pugnandum cum Gedeone contra Madianitas Iud. 7.  
designasse divinam Trinitatem habet Vener. Beda. Et  
talia plura in operibus SS. PP. Maximè S. Patris Nostri  
Augustini passim est invenire, quæ hic omittimus, quia  
in sequentibus cum suis citationibus & locis, ne nauf-  
eam, ut crambe biscocta, tunc repetita pariant, addu-  
cemus. Istis ergo vestigijs insistentes, variarum ac præ-  
cipuarum rerum trinitatem hic conscripsimus. Et pri-  
mò quidem ex Scripturis veteris ac novi Testamenti: *Li-  
benter enim utitur eo numero Scriptura, quia per eum copia ac  
multitudo significatur,* dicit S. Chryf. hom. 47. in Matth.  
mihi tom. 2. pag. 345. & hom. 41. in Matth. explicans il-  
lud, *in farinæ satis tribus* Matth. 13. Vel quia divinitas in  
Trinitate est, & idcirco ternarius numerus perfectionis  
est, uti habet Damasc. in Trisagio. Hinc illud Isaïæ 40.  
*qui appendit tribus digitis molem terræ.* Et Eccles. 4. *Funicu-  
lus triplex difficile rumpitur.* Et sic vulgò dicimus. *Ter fœlix,*  
id est, maximè fœlix. Ovid. 8. Metamor. *O ego ter fœlix.*

Sic



Sic & Virg. 1. Æneid. *O terquè quaterquè beati*, id est, plurimum beati, imò beatissimi. Et Seneca in Hippolyto. *O ter quaterque prospero fato dati*. Ita Galli per *tres*, id est, *ter*, significant superlativum v. g. *tres-noble*, id est *Nobilissimum*, in suo genere. Eodemque modo gradus tertius virtutum apud morales, & qualitatatum apud medicos, summus ordinariè censetur. Hinc & Deus vocatur, *ter maximus*, *ter fœlix*, *ter sanctus*. Causa & origo hujus rei & phrasis est, increatus ternarius, puta ipsa Sanctissima Trinitas. Hæc enim est Sanctissima, fœlicissima, maxima, ac omnia: imò infinita bona in se complectitur, eaque ternarijs a se creatis communicat. Lege huc spectantia plura apud Petrum Bongum lib. de numer. myst. in ternario. Vele ex eo Corn. a lap. in Amos. 1. v. 3.



E

SUB-



# SUBDIVISIO PRIMA

Trinitas diversarum rerum ex Scripturis  
veteris Testamenti conscripta, & tri-  
distichis ad divinæ Trinitatis  
mysterium accommodata.

## SYMBOLUM 1.

*Imago Sanctissimæ Trinitatis relucet in Adamo, qui fuit inge-  
nitus, quia formatus a solo Deo, qui mox ex Adamo for-  
mavit Evam; Adam & Eva deinde genuerunt Seth. Ha-  
betur pro Symbolo Sanctiss. Trinit. apud Greg. Naz. orat.  
39. & alios.*

**A** Dam non genitus (a) limi de mole creatus,  
Denotat ingenitum, Principiumque, Patrem.  
Quam Deus ex (b) costâ Sociam formarat Adami,  
Personæ genitæ dixeris esse notam.

(c) Procedens Sethus soboles ab utroque parente,  
Pneumatis umbra sacri est; quod mea coepta juvet.

(a) Gen. 2. (b) Ibidem. (c) Gen. 4.

## SYMBOLUM 2.

*De eodem*

*Supponitur Abel pro Seth.*

**D**iscite posteritas, nostrorum prima parentum  
Progenies, Triados Symbola clara docet.

Ex



(1)

Ex Adami velut ingenito producitur Eua,  
Ex utroque carens *labe* creatur Abel.  
A teneris pater unguiculis, a lacte pusillos,  
Hanc mater Triadem, Signa Crucisque doce.

### SYMBOLUM 3.

In principio creavit Deus Cælum & Terram &c. Spiritus Domini ferebatur super aquas. *Quibus verbis tres in Deitate personas probat S. Aug. de Trinitate & Unitate Dei. Mihi tom. 4. fol. 228.*

**C**ondidit immensæ summus primordia molis,  
(a) Conceptu æterno cuncta creante, Pater.  
Sidera cum cælis, terre digesta creavit  
Corpora, Principium, Principioque carens.  
(b) Qui circumfusis impendet & incubat undis,  
(c) Fœcundat Sacras Spiritus unus aquas.

*(a) Ioan 1. & psal. 32. & alibi. (b) S. Hier. Basil. & panè omnes SS. PP. de Spir. Sancto intelligunt. (c) Allegoria ad baptismum ex Hier. epist. 83 ad Oceanum.*

### SYMBOLUM 4.

*Alio sensu*

In principio creavit Deus &c. *in hebræo pro Deus habetur Elohim in plurali, quasi Dij vel Judices: unde Elohim pluralitatem indicat Scil. personarum; Creavit in numero singulari unitatem essentiæ. Ita Lyranus, Magister, & Scholastici multi, lib 2. sent. dist. 1.* Cunc-



**C**uncta creans Elohim, (ceu textus dicitur hebræus)  
Principio mundi ; Symbolon est Triadis.  
Dum plures Elohim personas signat, & unam  
*Aetio* naturam, quâ bona cuncta fluunt.

(a) Principium rerum Deus est , ac terminus idem ,  
Illius studeat quilibet esse memor.

(a) *Isaia. 41. & Apocal. 1. A te principium tibi desinet, dicit Virg.*

SYMBOLUM 5.

Faciamus hominem ad imaginem nostram, *ubi ly fa-*  
*ciamus & nostram, personalem pluralitatem designant, ly*  
*imaginem, unam naturam. S. Aug. lib. de fide ad Petrum,*  
*aliàs tom. 3. fol. 48. item tom. 5. fol. 125. & scholastici apud*  
*Magist. loc. cit.*

**T**res subsistentes , qui majestate sit unum  
Numen adorandum , vox faciamus, habet.  
Plurali numero si nectas particularem ,  
Unus cum Trino proditur esse Deus.  
O Decas eximium ! decoratur imagine summi.  
Mens humana Dei, quam violare nefas.

SYMBOLUM 6.

*Tres camerae in arca Noë. Gen. 6. Habetur apud S. Aug. pro Sym-*  
*bolo serm. 69. de temp. aliàs tom. 10. fol 161. ubi ait : Triplex*  
*enim arca est Ecclesia , quæ Trinitatis continet Sacra-*  
*mentum.*

Ar-



(3)

**A** Rca vehit, Saluatque genus pecudumq; hominumq;  
Conflantur cameris tristega facta tribus.  
Pulsus humo est undante polo vetus incola terræ,  
Errat & in tumidis iam Microcosmus aquis.  
Saluatur Triadis sub imagine tutus in arcâ,  
Ut benè munitâ miles in arce solet.

SYMBOLUM 7.

*Tres Filij Noë; Sem, Cham, Iaphet.*

*Gen. 6. vers. 10.*

**Æ** Quora turgescunt, cælisquè vomentibus undas,  
Merfa latet tellus, machina trina pavet.  
Placatur mox læsa Trias: Sem, Chamque supersunt  
Et Iaphet. (a) Est tellus his reparata tribus.  
Ad pœnas est tarda Trias, clementia motus  
Temperat; (b) ad veniam pronior esse solet.

(a) *Gen. 9. v. 19.* (b) *S. Hieron. & commentatores in Isa. 55. v. 7.*

SYMBOLUM 8.

*Pincerna Pharaonis tres propagines Vitis, Pistor tria canistra  
somniaando videt; quod Ioseph interpretatur, illum post tres  
dies officio restituendum, hunc Crucis suspendio finiendum  
prædixit Gen. 40. Nota. S. Aug. serm. 71. de temp. aliàs tom.  
10. fol. 162. dicit: nam quod dies tertius in mysterio ac-  
cipi debeat Trinitatis, frequenter in Voluminibus sa-  
cris invenitur. Idem serm. 106 de temp. habet.*

Quæ



(4)

**Q**uæ rutilo fiunt Iosephe negotia phœbo,  
 Hæc reuehunt tacitâ nocte sororis equi.  
 Somnia visa docent: illi (a) propago propagat,  
 (b) Corvorum socio, præsecat, umbra, dies.  
 Præmia cum pœnis trinâ sub imagine spectes;  
 (c) Linea metiri, quæ solet æqua Dei.

(a) gen. 40. vers 13. (b) ibidem vers. 19. (c) ad lineam meritorum & demeritorum, quæ  
 si ad amissim, Deus cuiquæ destinat præmium vel pœnam. vide Corn. a lap. Isa 18.

SYMBOLUM 9.

*Tres speciales Patriarchæ.*

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. habetur pro Sym-  
 bolo apud S. Chryf. homil. in illud Apostoli Cum autem  
 subjecta fuerint illi omnia. mihi tom. 4. pag. 118. ubi dicit  
 tres patriarchæ sunt in honorem Trinitatis.

**E**N Patriarcharum numero Deus impare gaudet,  
 Cunctorum Patrem ritè figurat Abram.  
 (a) Abramides Sacra ligna ferens, parensque parenti,  
 In Cruce pendentis forma typusque fuit.  
 Pneuma refert Iacob, lectam sub amante Rachelem:  
 (b) Inde Patrum, Triadi perplacet ista trias.

(a) id est filius Abrahæ seu Isaac. (b) vide Perer. in cap. Exod. 3. & ex eo Fab. Justus  
 in illud Tob. 7. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob vobiscum sit & c.

SYM



(5)

SYMBOLUM 10.

Abraham tres Angelos vidit, Unoque adorato hospicio  
& convivio excepit. *gen. 18. S. Aug. serm. 70. de temp.  
mihitom. 10. fol. 191 ubi dicit, in eo quod tres vidit, Tri-  
nitatis mysterium agnovit, quod autem quasi Unum  
adoravit, in tribus personis unum esse Deum Cogno-  
vit.*

**S**edibus æthereis (a) Triadis tres nomine lapsos  
(b) Thariades recipit, suppositaque dapes.  
Unus adoratur, quia par essentia trinis,  
Una tribus Deitas, Una latria datur.  
Hospitij merces promissa est mascula proles;  
Causa Trias seræ fertilitatis erat.

(a) *S. Chrys. tom. 4. pag. 119.* (b) *Abram filius Thara gen. 11.*

SYMBOLUM 11.

*De eodem,*

*Ac de tribus satis similæ, quæ commiscuit Sara, ac fecit subcine-  
ricios panes. Apud S. Aug. loc. cit. & tom. 10 fol. 225.*

**A**uspicio summæ Triadis, quâ cuncta reguntur,  
Thariadi e cælis obuia missa trias.  
Excipit hospicio, blando dedit ore salutem,  
Ternaque misceri mox sata jussit Abram.  
En Abrahæ perspecta fides, & Numen in Unum  
Trinumque, obsequijs officiosus amor.

SYM-



## SYMBOLUM 12.

*Abraham jubetur a Deo sumere vaccam triennem, capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam &c. Gen. 15. habetur pro Symbolo SSS. Trinit. apud S. Aug. serm. 54. de temp. mihi tom. 10. fol. 153. ubi dicit: Vacca triennis & aries annorum trium &c. figuram omnium gentium prætulere, quia omnes gentes erant in mysterium Trinit. credituræ.*

**V**acca triennis erit, capra trima, ariesque triennis ;  
Turtur, & in sacris, casta columba, placent.  
Symbola sunt Triadis, quæ tres pharaonica quondam  
Sub juga ducendas edocuere tribus. (a)  
Hinc turtur gemebunda jugum, lamentaque signat,  
Altera promissas, nuntia pacis, opes.

(a) Per tres tribus, intellige tres generationes, puta Caat, Amram, & Moyses, per quas duravit servitus Ægyptiæ.

## SYMBOLUM 13.

Triplices Virgæ Jacob.

*Tollens Iacob Virgas populeas virides, & Amygdalinas & ex platanis, decorticavit eas. Gen. 30.*

**S**æpè tui Laban pretium sudoris ademit,  
Ufus es ast astu callidior Jacob.

Po-



(7)

Populeas & Amygdalinas hinc tollere Virgas  
Ex platanis, Triadis numine (a) doctus ovas.  
Ipsa (b) Trias sœcundat oves, variatquè colore;  
Aucta tui merces arte laboris erat.

(a) Gen. 31. 7. 11. ubi haec est stropham Iacob divinitus in somnis edoctus. (b) Gen. 31. 7. 7  
8. 9. & est doctrina Cyrilli Chrys. Theodoretii &c.

#### SYMBOLUM 14.

Ego sum qui sum. Exod. 3.

Nota Symbolum esse in istis monosyllabis singulis: sunt enim tres  
literæ, & una syllaba.

**P**ersonis poteris dumtaxat dicere Divis,  
(a) Non homini, cujus dixeris, esse, nihil. (semper  
(b) Sum qui sum (c) primum, (d) numquam mutabile, (e)  
(f) Ens sine principio, sum sine fine simul.

Finis ero qui principium, cultoribus ipsum  
Sum licet esse, tamen nolo deesse meis,

(a) Ex Platone. Cui non malè consonat Syllogisticum hoc Distichon  
Pulvis & umbra sumus, pulvis nihil est nisi fumus:  
Sed nihil est fumus, nos nihil ergo fumus.

(b) hoc explicant SS. PP. per (c) S. Hieron. in cap. 3. ad Eph. per (d) Greg. hom. 2.  
in Ezech. per (e) Iustin. in exhort. ad gentes. Per (f) Pyndarus in pythij hymno 2.  
Hinc & Thales, teste Laert. in ejus vitâ, rogatus, quid esset Deus, respondit, quod  
principio & sine caret.

#### SYMBOLUM 15.

Nota nomen tetragrammaton.

Nomen meum Adonai non indicavi eis. Exod. 6.

Hunc locum græcus Scholiastes vertit; non indicavi eis

F

nomen



*nomen Patris, & Filij, & Spiritus S.* Nomen enim *A-*  
*donai & Iehova*, nomen tetragrammaton, & trisyllabum  
 est, idemque cum eo, *Ego sum qui sum*, ut habet Corn. a  
 Lap. Exod. 6. Respondent autem Hebræi nomine *Iehova*  
 significari SSS. Trinitatem. Prima enim littera *Iod*, quæ  
 est index & principium numeri denarij, significat pri-  
 mam personam. Secunda *He* significat secundam per-  
 sonam: *He* enim significat essentiam & substantiam ( a-  
 radice *Haja*, quæ *esse* significat ) quam Filius consubstan-  
 tialis Patri communem habet cum Patre. Rursum per  
 Filium omnes res creatæ sunt, & suam essentiam acce-  
 perunt. Tertia *Vau* significat tertiam personam: est enim  
*Vau* idem quod copula *Et*, sicut Spiritus S. est Unio &  
 copula Patris & Filij. Ita ex Corn. loco cit.

### SYMBOLUM 16.

Trina signa Moysis, & triplex conversio.

*Moyses tribus signis a Deo acceptis in Ægyptum proficiscitur.*  
*Primum signum est conversio virgæ in colubrum. Secundum*  
*missio manus in sinum, quam protulit leprosam. Tertium*  
*conversio aquæ in Sanguinem. Exod. 4.*

**T**Rina per Ifacidum patrantur thaumata Patrem:  
 Fit subito coluber, quæ modò Virga fuit.

Inquæ



(9)

Inquè sinum conversa manus (res plena stuporis)

Lacte fit albenti candidiorquè nive.

Undaquè primævo rubet exspoliata colore.

His Trias electum te probat esse Ducem.

SYMBOLUM 17.

Tres liberati e flammis Sodomæ.

*Ascendit Loth de Segor & mansit in monte, duce quoque  
filie ejus cum eo. Gen. 19.*

**A** Spice (a) sulphureis flagrantibus ignibus Urbes,  
Perverfa in cineres versa Gomorrha jacet

(b) Parva tamén Segor ultricibus eruta flammis,  
Loth salvatorem gaudet adesse suum.

Cum Patre Loth binæ fugiunt incendia natæ,  
Dum peris, ad Triadem confuge. Salvus eris.

(a) sulphure & igne rectè punitur sodoma ob factorem & ardorem peccati libidinis. Greg.  
lib. 4. moral. cap. 10. (b) quæ prius Bala dicebatur, postea est vocata segor, id est parva,  
quia Loth eam quasi parvam, ne cremaretur, exoravit. Gen. 19. v. 20.

SYMBOLUM 18.

Tres virj orantes.

*Moyfes, Aaron & Hur Exod. 17.*

**T**res orant, collemquè petunt, irrumpit in hostem

(a) Nunnjades, lassas Mose levante manus.

Quan-



(10)

Quantumvis virtute, viris ac viribus impar,  
Hostibus attritis Mars Josuanus ovat.  
[b] Palma venit, toti parta est victoria mundo,  
Dum Triadi palmam Christus utramquè levat.

[a] Id est Filius Nun seu Josue [b] Allegoria ad Christum Crucifixum ex Tertul. lib. 1. contra Marc. cap. 18. Cyrill. in collect. cap. 16. alijsquè PP.

SYMBOLUM 19.

Tres dies. Exod. 3.

Ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro. Habetur pro Symbolo apud S. Aug. Serm. 71 de temp. mihi tom. 10. fol. 162. & Ven. Bedam. in Expof. lib. Iob cap. 1.

**G**ens hebræa gravi depresso Tyrannide squallet,  
Niliaci duro [a] Principis arcta iugo.  
Effusa in lacrymas gemitus ad sidera tollit,  
Terrenæquè expers, cœlitus orat opem.  
[b] Tresque dies poscit deserta per avia cursum,  
Unde Sacræ Triadi thura cremanda ferat.

[a] id est Pharaonis. [b] trium dierum via, est via fidei, spei, charitatis, qua est via ad cælum. vel allegorité sunt tres dies Christi. Primus, quo obiit, secundus, que descendit ad inferos, tertius quo resurrexit, ita S. Aug. serm. 90. de temp.

SYMBOLUM 20.

Diliges Dominum Deum ex toto corde, totâ mente, totis viribus, S. Aug. tom. 4. fol. 77.

SYM-



## SYMBOLUM 21.

## Tria præcepta primæ tabulæ

*Ego sum Dominus Deus tuus &c.*

*Non assumes nomen Domini Dei tui in Vanum.*

*Memento ut diem Sabbati sanctifices.*

**M**onte Synâ primæ lex exarata tabellæ,  
 Quâ ratione Trias sit veneranda, docet.  
 Summa sit hæc legum: toto conamine, totis  
 Viribus, & totâ dilige mente Deum.  
 Incassum Domini nomen ne fumere tentes,  
 Et Triadis cultu Sabbata digna cole.

## SYMBOLUM 22.

Omnis masculus ter in anno apparebit coram  
 Domino *Exod. 23.*

*Putat, in festo tabernaculorum, paschatis, pentecostes. Dent. 16. Ha-*  
*betur pro Symbolo Sanctiss. Trinit. apud S. Basilium in*  
*cap. 1. Isa. ubi dicit: fidem Sanctiss. Trinitatis exigit Deus:*  
*nam ut ait Glossa: In Collecta frugum potentia Creatoris Pa-*  
*tris signatur; In paschate immolatur filius; In pentecoste da-*  
*tur spiritus.*

**S**istetur Solymis quivis ter masculus aris,  
 Annua dum cælis effeda solis erunt.  
 (a) Prima dies summi solemnia Patris adumbrat,

(b) Al.



(12)

(b) Altera quo natus dignus honore refert.  
Quin etiam (c) Sacro lux effulgebit Amori:  
Supremæ Triadis lex vetus umbra fuit.

(a) Dies tabernaculorum seu collecta frugum. (b) Dies azymorum seu pascatis. (c) Dies Pentecostes.

## SYMBOLUM 23.

*Et sint parati in diem tertium : die enim tertio descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai. Exod. 19. apud S. Agust. serm. 71. de temp. aliàs tom. 10. fol. 162.*

**I** Sacidum legem gens exceptura Tonantis,  
(a) Provida ter geminos se parat ante dies.  
(b) Insonuere tubæ, densatur nubibus aër,  
Horridus æthereo labitur axe fragor.  
Per Triadem si plena dies fuit illa tremoris;  
Quantos horrores nostra suprema vehet?

(a) Allegoriam hic addit Rupertus ad resurrectionem Christi, dicens : Deus noster Trinitas est, Pater, Filius, & Spiritus S. &c. ac proinde justum fuit ut saltem festiva eius resurrectio in diem tertium differretur. (b) Exod. 19. v. 16. & 18.

SYM



(13)

SYMBOLUM 24.

Tres percussiones Asinæ. Num. 22.

*Et nit Angelus ad Balaam; cur tertio verberas  
Asinam tuam?*

**Q**uo superos ausu Balaam male-fane laceffis;  
Inquè Dei populum tot maledicta vomis?  
An nescis Asinam trino dum fuste flagellas  
Te Trini (a) rapido Numinis ense peti?  
Hinc Triadis dono [b] formatis vocibus, artus  
Ter gemino est cæfos verberare quæsta suos.

(a) Num. 22. v. 23. & 31. (b) Deo vel Angelo voces, & verba formante, non tam per  
Asinam, quam solùm circa eam, & in ore eius, inquit Leon. Mazius Num. 22. Sic da-  
mon per Serpentem locutus est ad Evam Gen. 3.

SYMBOLUM 25.

Tres a terrâ absorpti.

*Core, Dathan, Abiron. Num. 16.*

**E**lato, Moyfi vultu parere negantes,  
Jure ruunt lapsu tres graviore Duces.  
Horresco referens, sorptos telluris hiatu  
Mox phlegetontæi fluminis unda rapit.

Sup.



Supplicium exoluit perfricta rebellio, durum  
Judicium Triadis (a) tres subiêre Viri.

(a) Nota hic pœnam ambitionis, rebellionis & murmuris: erant enim hi tres rebelles, bla-  
phemi, ac rei læsæ majestatis, in Sanctis. Trinitatem.

SYMBOLUM 26.

Tres Civitates Refugij

Quas separat Moyses, ut confugiat ad eas omnis, qui occiderit no-  
lens proximum suum. Deut. 4.

(a) **I**Nvitus qui fortè Virum confecerit, iras

Trina evasuro pandit asyla Trias.

Quo fugies qui mente furens, ac immemor æqui,  
Lætifero telo, tequè Deumquè feris?

(b) Nec Bofor, aut Ramoth, aut Golan saluare valebunt,  
Tatior ad Triadem, crede, recursus erit.

(a) Deut. 4. v. 42. (b) ibidem. v. 43. nominatim assignantur ista tres civitates.

SYMBOLUM 27.

Tertia generatio Deut. 23.

Qui nati fuerint ex his (scilicet Idumæis & Ægyptijs) tertiâ  
generatione intrabunt in Ecclesiam Domini.

**S**I vel Idumæus, vel sis Ægyptius ortu,  
Mox ut Judæus, non tibi jura favent.

Stirps



Stirps prior haud salvat, nec quas parit altera, proles

(a) Tertia sub Triadis schemate sola beat.

(b) Sit carnis merces, seu sanguinis ista putanda,

(c) Nec non hospitij : (d) gratia pura fuit.

(a) Nota. Qui ex Aegyptijs, vel Idumaeis conversus fiebat Judaeus, ab eo primo computando, tertia generatione ad congregationem Judaeorum, ut privilegij ipsorum frui posset, prius admittebatur. [b] Vers. 7. [c] Ibidem. (d) Quia Judaei quamdiu fuerunt advena in Aegypto, fuerunt multa passi, & duriter tractati, ita ut sit pura gratia, quod Dominus Deus ratione hospitij Aegyptijs hic concedit. Vide Leon. Marium. Deut. 23. & comment. illi.

SYMBOLUM 28.

Annus decimarum tertius,

Ac Triplices decimae Deut. 26.

[a] **P**ortio debetur decimarum prima Levitis,  
Hæc solvenda sacris portio jure Viris.

Altera pars cedit Solymas visentibus ædes,

[b] Ut cadat excelso Victima grata Deo.

Tandem munificæ Triadis de lege, pupillis

Tertia pars, viduis, pauperibusquè datur.

(a) Tertio quolibet anno triplices dabantur a Judæis decima. Primò levitis, Secundò advenis ter in anno Hierosolymam ad templum venientibus, Tertio pauperibus, viduis, pupillis. Omnes hæ tres decima soluebantur tertio anno; alijs verò annis duæ priores duntaxat. Vide Abul. hoc loco (b) Deut. 26. vers. 15.

G

SYM-



## SYMBOLUM 29.

*Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, & intrabitis ad possidendam terram; quam Dominus Deus noster daturus est vobis. Ios. 1. S. Aug. serm. 106, de temp. aliàs tom. 10. fol. 108. præparate vobis cibaria ad diem tertium, quid est aliud dicere; nisi Trinitatis accipite Sacramentum, id est baptismum? &c.*

**T**ertius Eois ubi sol emerferit undis,  
 Iordanis populo trajiciendus erit.  
 In nostrâ jam manna manu est, tunc ibimus, inquit  
 (a) Nunniades, (b) reliquas ante parate dapes.  
 Indicio Triadis trajecto flumine, tellus  
 Nos manet emanans lacte, favoquè fluens.

*(a) Id est Josue, qui fuit filius Nun. (b) manna non poterat servari in plures dies ut pat. Exod. 16. idcirco dicunt expositores, per cibaria intelligenda esse alia alimenta, quæ filij Israël invenerunt, aut emerunt in terris, per quas transibant. Ita Dionys. Carth. hoc loco.*

## SYMBOLUM 30.

Terni Viri, Ios. 18.

*Eligite de singulis tribubus ternos Viros, ut mittam eos, & pergant, atquè circumveant terram.*

**P**romissis tribubus [a] deerat sua portio regni,  
 Ter geminos placuit sorte creare Viros.

Tres



(17)

Tres e quâquè tribu [b] mensi, data munera, signant  
Munificam Triadis regna dedisse manum.

Alma Trias quot regna polo tibi danda supersunt?  
Præmia sunt servis congrua danda tuis.

(a) 7. scilicet, que necdum acceperant possessiones suas, ut videre est vers. 2. (b) Viri in arte metiendi periti. Vide Dion. Carth. in Jos. 18.

SYMBOLUM 31.

Tres Vituli, & tres modij farinæ. 1. Reg. 1.

Et adduxit eum Secum, Scil. Anna Samuëlem postquam ab-  
lactaverat, in Vitulis tribus, & tribus modijs farinæ, &  
amphorâ Vini; & adduxit eum ad domum Domini. Habe-  
tur pro Symbolo apud S. Aug. tom. 10. fol. 225. ubi dicit:  
Ephi (de quo etiam agitur 1. Reg. 17.) trium modiorum  
mensura est: & tribus mensuris mysterium intelligitur Tri-  
nitatis.

SYMBOLUM 32.

Tres Sacerdotes pietate & religione celebres. Scil. Moyfes,  
Aaron, Samuël, habetur apud D. Chryf. tom. 4.  
pag. 618. Ubi sic habet.

Tres Patriarchæ sunt in honorem Trinitatis &c. Et  
fi.



sicut, licet multi sint patriarchæ, ut prædicetur gloria viventis spiritûs sufficit Ternarius, ita cum multi sint sacerdotes, Triastamen Sacerdotum electa est; nempe Moysis & Aaron, qui in Sacerdotibus ejus, & Samuelis. ps. 98.

**I**N vitulis modijsquè tribus, vinoquè, pusillum  
Elicitum precibus, consecrat ANNA Deo.  
Quàm placuit Triadi divulsus ab ubere natus,  
Hostia grata Deo ter repetita fuit.  
Tres, Samuel, Moyses, Aaron Sacra thura dedere;  
Quos famulos Domini (a) pagina Sacra vocat.

(a) psal. 98. Nota ex Glossa 1. intellige per Moysen, id est extractum de aquis, Religiosos abstractos a delicijs mundi. Per Aaron, id est, Monachum, prælatos in alto constitutos. Per Samuel, qui fuit minister in domo Domini Reliquos Sacerdotes & clericos: ab istis Christianis Sanctiss. Trinitas est laudanda & invocanda. Vide Lorin. in psal. 98.

### SYMBOLUM 33.

Trinæ vocationes Samuelis. 1. Reg. 3.

*Samuel autem dormiebat in templo Domini &c. et adiecit Dominus, & tertio vocavit Samuel.*

**A**Teneris Samuel Domini sacatur ad ædes,  
Terquè intempestâ (a) nocte vocatus adest.  
Ad Triadis sedes quisquis volet ire beatas,  
Illius imperio sollicitatus adit.  
Nos quoties Trias alma vocat parere, moramur,

Hæren-



## Hærentes luto pondera carnis habeat.

[a] In quibus promptissima obedientia commendatur, quod intempesta noctis silentio toties tam celeviter, ac patienter surrexit & occurrit. Dicit Dion. Carth. Nota ex Venerab. Beda. Tertio Dominus vocavit Samuel, eo quod tertio Deus Pater, Filium in carne, Deum invisibilem esse, monstravit. In infantia, per Angelum & stellam. In pueritia, cum annorum esset 12. & Sapiencia divina praditus loquebatur in templo. In Juventute, cum baptizatum Pater Filium sua voce signavit, dicens: Hic est Filius meus & c.

## SYMBOLUM 34.

## Tria signa Saüli a Samuele data.

Cumque veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri  
ascendentes ad Deum in Bethel. Vnus portans tres hædos, &  
alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini. I.  
Reg. 10.

**I** Sacidum, mandante Deo, Rex ungitur, almæ  
Uncto, mox Triadis signa, Saüle, micant,  
Tres coeunt ad templa viri Bethelia, ternis  
Panibus hic, hoedis promicat ille tribus.  
A Triadis folio, ceu lux a sole, profecta est  
Regia majestas, Sceptrigerumque decus.

Nota. Ex Vener. Beda. invenerunt inquit, fortes quique S. Trinitatis confessores, ascendentes pijs profectibus, ad Deum in Ecclesia, qua est Bethel, id est domus Dei: qui secundum datam sibi gratiam quadam pinguisima penitudinis remedia pro cogitatione, locutione & operatione offerenda & c. ferebant.



## SYMBOLUM 35.

Tria arma Davidis, quibus Goliath prosternit. 1. Reg. 17.

*Tulit David baculum suum, elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & fundam manu tulit, & processit adversus Philisthæum.*

**F**unda hostem Jessæa ferum funditquè, fugatquè,  
Pastorem baculus denotat esse gregis.

Nomine sed Domini victus jacet hostis & ictus,  
Munimen Numen, nomen & omen habet.

Auspicio Triadis redit e certamine victor  
Pulsio, truncati colla gigantis habet.

## SYMBOLUM 36.

Tres Sagittæ Jonathæ 1. Reg. 20.

*Jonathas post repetitum cum David fœdus ipsum cum Patre reconciliare frustra conatur; illum tamen e manibus ejus trium sagittarum iaculo liberat. Habetur pro Symbolo vel allegoriâ ad SSS. Trinit. apud Bedam. Expos. alleg. in Samuëlem lib. 3. cap. 7.*

**H**æredem sceptri Triadis iam sorte legendum,  
Cur insane premis, persequerisquè Saül?  
Niteris incassum vitæ præscindere telam,  
A telis tutus ter fuit ante tuis.

Præ-



Præsidio Triadis Martem delusit & artem ;  
En Jonathæ telis luderis ipse tribus.

## SYMBOLUM 37.

*David tertio cadens pronus in terram adorat Jonathan. Habetur apud Bedam loc. cit. ubi ait: per hoc signari cadentem in terrena quondam præcordia divini respectum amoris, ad adorandam hæc ardentius S. Trinitatis gloriam sedulâ compunctione provocantem.*

**I**ssææ sobolis quantus pater hostis & osor,  
Hinc (a) natus Jonathas tantus amicus erat,  
Aspice securum vitæ triplici indice telo,  
Ter curvare genu, terquè levare solo.  
Est Trias arcano quæ Numine temperat orbem,  
Ira patris nocuit, profuit hujus amor.

*(a) Nota Saül habuit tres filios, Jonathan, Jesui, & Melchisua. De quibus Beda in expositione alleg. in Samuel. lib. 2. cap. 10. tres filij Saul, inquit, magnos fidei catholica, quæ unum in tribus personis Deum prædicat, duces exprimunt.*

## SYMBOLUM 38.

*David sedens in cathedrâ sapientissimus inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui 800. interfecit impetu uno. 2. Reg. 23. Habetur pro Symbolo SSS. Trinitatis apud Dion. Carth. enar. in 2. Reg. cap. 23. art. 34. ubi ait: Sapientissimus iste est Christus, Sapientia Patris, sedet in cathedrâ*



cathedra, scil. judiciali, cum ipse sit iudex universorum.  
Hic est sapientissimus inter tres divinas & increatas perso-  
nas, id est, unus eorum, qui sunt tres sapientissimi; adjec-  
tivè sumendo nomen sapientissimi: si enim substantivè suma-  
tur, sunt unus sapientissimus; sicut & unus aternus &c.

**E**Cce throno David residet præfulgidus alto  
Tres inter summos maximus ille sophos.  
Vermiculo similis caput ense terendo gigantis,  
Sic Sathanam Christo Crux moriente terit.  
Tantane vermiculo fuit in moriente potestas?  
Vis experrecti quanta (a) leonis erit?

(a) Allegoria ad Christum resurgentem & ad iudicium reducem.

SYMBOLUM 39.

*Trium datur optio. 2. Reg. 24.*

**O**ptio iusta trium datur, elige bella, famem-ue  
Vel tua plebs trino, peste necanda die est.  
Optio trina gravis, trini tamen hocce fla- gellum  
Numinis, est bonitas: esto flagellet [a] amat.  
[b] Parce recensite Deus optime maxime plebi,  
Mequè meamquè domum petute; culpa mea est.

(a) Apocal. 3. [b] ob numeratum populum punitur David, 2. Reg. 24.

SYM-



## SYMBOLUM 40.

Tres fortissimi Viri. 2. Reg. 23.

*Irruperunt ergo tres viri castra Philistinorum, & hauserunt  
aquam de cisternâ Bethlehem.*

**Q**uis lymphæ calicem patrio de fonte propinet?

Quas ardens fitio (a) possidet hostis aquas.

(b) Tres ferro fecere viam, medio què per hostes,

Non delibandis vi potiuntur aquis.

Quæ levet unda fitim; mentis què incendia tollet?

Fons Patris, unda (c) Bethlem, flumina Flamen habet.

(a) Vers. 14. (b) Vers. 16. (c) Id est, natus in Bethlem. Nota ex Dion. Carth. nullus, inquit, fortiorum ipsius David ad tres primos fortissimos pervenit, (ut habetur 2. Reg. 23. vers. 19. & seq.) per hoc enim præfiguratum est, quòd ad superbeatiss. Trinitatis æqualitatem, nullus Sanctorum pertingere valet.

## SYMBOLUM 41.

Tria in arcâ fœderis.

*Virga Aaron, quæ frondens ipsi consignavit Sacerdotium,  
Decalogus, Manna. Ex S. Tho. 12. q. 102. a 4.*

**M**anna saporiferum, Virgam, legis què tabellas,  
Hæc tria legiferi continet arca Ducis.

(a) Virga potestatis, sopheri lex esto figura,

Munificam dantis, suspice manna, manum.

En Triados vivis expressa coloribus icon,

Non habet Idalidos pulchra tabella pares.

[a] S. Tho. tria, inquit, quæ erant in arcâ, significabant tria attributa Dei, scil. virga, potentiam Patris, legis tabula, sapientiam Filij, manna, bonitatem Spiritus Sancti.

H

SYM-



## SYMBOLUM 42.

*Habitavit arca Domini in domo Obed edom tribus mensibus, & benedixit Dominus domui Obededom. 2. Reg. 6.*

**M**ansit (a) Obed-Edom populi tutela trimestri  
(b) Fœderis arca domo, cœlica dona vehens.  
Umbra fuit Triadis, (c) tribus hinc ornata figuris.  
Inclusit virgam, manna, decemque logos.  
Quanta sacerdotum cumulabit gratia mentes;  
Dum Trias adveniens manserit? (d) arca cor est.

[a] Secundum Pet. Comestorem Obed Edom duæ sunt dictiones: nam ita exponit, Obed filij Edom: interpretatur autem, serviens homo, Eratque Obed levita. [b] dicitur arca fœderis vel testamenti, quia continebat legem, quæ erat conditio fœderis inter Deum & Hebræos initi. (c) Figura arca erat alta & lata tribus palmis, longa quinque, inquit Iosep. lib. 3. Antiq. 6. (d) Quid est Sacerdotale cor; nisi arca Testamenti? in quâ, quia spiritualis doctrina viget, proculdubio tabula legis jacent, ait S. Greg. lib. 7. regist. epist. 30.

## SYMBOLUM 43.

*Tres Lanceæ Joab. 2. Reg. 18.*

*Tulit ergo Joab tres Lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon.*

**A**bsalon obrizi niveo cui pendula collo  
Cæsaries, auri pondere major erat.  
Filius infestis Patrem malè providus armis.  
Provocat, (a) haud superùm tela trifulca timens.  
Percitus ultrici Joab armiger irruit irâ  
Ac hostem Triados perfodit hasta triplex.

(a) Rex autem David filium planxit extinctum, quia noverat in quas pœnas tam impia, adultera; parricidalis anima raperetur, inquit S. Aug. de doct. Christ. lib. 3. cap. 21. mihi tom. 3. fol. 13.

S.Y.M.



## SYMBOLUM 44.

*Elias super filium mulieris Sareptanæ tribus vicibus mensus est.  
3. Reg. 17. habetur pro Symb. apud Dion. Richel. in expos.  
l. c.*

**I**ncubat exanimi puero curvatus Elias,  
Se puero similat, ter repetitque vices.  
Ista figura brevis quid denotat? anne stupendum

(a) Divini verbi se breviantis, opus?  
(b) Per Triadem fit vita redux; ut redditus iste  
Est vitæ ac Matri, vate precante, (c) puer.

(a) Est allegoria ad Christum, pro genere humano sopito peccatis; orantem patrem pro re-  
vivificatione; quem pater pro sua reverentiâ exaudivit; atque in sua incarnatione, predi-  
catione, & passione se eidem misericordissimè coaptavit (b) Expandit se ter Elias, ad in-  
solvendum superbeatissima Trinitatis mysterium, cuius virtute, & fide postulavit obtine-  
re supernaturalem illum effectum. Et quoniam universorum entium operumque perfectio  
in quadam trinitate consistit. Richelius in loc. sup. cit. (c) Refert S. Hieron. quod puer iste  
suscitatus, habeatur ab hebrais, Jonas propheta.

## SYMBOLUM 45.

Triples perfusio aquæ super holocausta.

*Item trium patrum nuncupatio 3. Reg. 18. de symbolo trium pa-  
trum dictum est supra.*

**V**atum grex Baalim clamoribus æthera complet,  
Obserrat his aures, continet ora Baal.

Sacrâ dêin melior vates parat igne cremanda;

(a) Ter quoque mactatum diluit amne bovem.

Annuit alma trium (b) Trias excita nomine patrum,

cum



## Cum bove ter fufas corripit ignis aquas.

[a] Est allegoria ad corpus Christi in Sacramento altaris, super quod effusio aqua interioris & ignita in anima ter devotè est faciendâ; in præparatione ad offerendum, in ipsa oblatione, & post in gratiarum actione: sicquè sequitur infusio Spiritus S. qui est igni consumens, & in se absorbens devota corda per charitatem. (b) Tres Patres, id est, Abraham representans Patrem, Isaac Filium, Israël Spiritum sanctum, qui ex Abraham per Isaac, id est, ex Patre per Filium procedit.

## SYMBOLUM 46.

## Tres Iesus seu Salvatores in veteri Testamento

Scil. Iosue Dux, Num. 13. qui vocatur Iesus Ecclesiastici 46.  
 Alius Iosue Pontifex, 1. Esdre 3. qui nominatur Iesus Eccl.  
 49. Tertius auctor libri Ecclesiastici, qui sic nominatur Eccl.  
 50.

(a) **N** Unnitas, (b) Josedechitas (c) Sirachitas (d) J-esus,  
 [e] Symbola venturæ ternæ salutis habe.

Dux Josue; summo fuit alter honore Sacerdos;

Doctor erat Syrach: tres patriæne patres?

Tergeminos unus superas [f] o Christe: Sacerdos,

Doctor eras mundi, Ductor ad astra simul.

(a) Filius Nun. (b) Filius Josedech. (c) Filius Syrach (d) J-esus apud Græcos est trisyllabum, eò quòd Jota apud eos sit vocalis, qua apud Latinos est consonans. Iesus autem est idem quòd Josue, vel Messias, vel Salvator. (e) & (f) proprium nomen verbi incarnati est nomen Iesus, dicit S. Aug. tract. 3. in 1. Epist. S. Ioan. Unde ait Bernardus serm. 15. in Cant. Veteres Iesus inanibus nominibus gloriaros esse; nec enim veram salutem præstitisse, sed adumbrasse. Hanc solus præstitit Iesus noster.



## SYMBOLUM 16.

Tria bona opera Tob. 12. *Apud Corn. a Lxp. in Amos 1.*

*Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere. v. 8.*

**A**D Triadis sedem fervens erectio mentis  
Tollitur, & grato pascit odore polos.  
Vis magis attolli? macerent jejunia corpus,  
Sæpius hoc animum molle gravare solet.  
Ex opibus fer opem, miseris, inopique pupillo,  
Munera ne numerata, munerat illa Deus.

Moraliter, oratione propitiatio Dei quaeritur, jejunio concupiscentia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur, simulque per omnia Dei in nobis imago renovatur. Hæc triplex observantia omnium virtutum comprehendit effectus. Hæc ad imaginem & similitudinem Dei pervenit, & a Spiritu S. inseparabilis facit, quia in orationibus permanet fides recta, in jejunio innocens vita, in eleemosynis mens benigna. Leo Serm. 1. de jejunio 10. mensis.

## SYMBOLUM 48.

*Tres horæ, quibus tres personæ, videl. Tobias Junior & pater uterque, cognito Dei Angelo benedicunt Dominum.*

*v. 22.*

**Q**UIN Tobias memorem cælesti munere claros  
Monstratæ memores a Raphaële viæ.  
Ut civem videre poli talaria plantis

Nectere



Nectere, & in patrios iam remeare lares,  
 Quanta trium mentes rapuit tribus extasis horis?  
 (a) Prostrati in vultus procubuere suos.

[a] In signum humilitatis corde simul & ore Deum trinum & unum benedixerunt, sicut Abraham, cum ei divina revelarentur mysteria Gen. 18. Fab. Iust. in hunc locum.

## SYMBOLUM 49.

*Tertio anno imperij sui Assuerus fecit grande convivium Ester. 1.*

**T**ertius Assueri regno dum volvitur annus,  
 Prodiga regales dextra profudit opes.  
 Accumbunt roseis satrapæ longo ordine mensis,  
 (a) Pocula Bacchæo plena liquore bibunt.  
 Quas parat ergo dapes rerum Trias ipsa creatrix?  
 Nectar & Ambrosiam cœlicus ordo bibit.

[a] Erat quidem vinum abundans, non tamen erat, qui nolentes cogeret ad bibendum impertunè invitando, vel ad aequales haustus provocando, ut quidam brutaliter faciunt, inquit Richel.

## SYMBOLUM 50.

*Tribus diebus & tribus noctibus Ester & Iudæi ieiunant, ac orant. Ester. 4. & 5. ex S. Aug.*

**M**ente ferox Amanus amans, sitiensque cruoris,  
 Ifacidum genti bella, necesque parat,  
 Figeris ipse cruci præcelsæ, hostique paratæ,

In-



(29)

Ingenioquè peris dire Perille tuo,  
Terna placent Triadi jejunia, terque profusis  
Est populi lacrymis, & prece, mota sui.

SYMBOLUM 51.

Tres amici Job.

*Audientes tres amici Iob, omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo ut visitarent eum. Iob 2.*

**D**Ives opum Job, factus inops, exutus honore,  
Infimus in fimo, qui modò summus erat.  
Tartarei livore canis, liventia membra  
Vix levat, in toto corpore vulnus hiat.

Victorem Sathanæ (a) tres aggrediuntur amici.

(b) Quos sancto victos Flamine Jobe trahis.

(a) Amici Job senserunt pœnas in hac vita non infligi nisi pro prævia culpa: Unde Job gravissime casum, judicavit gravissimum peccatorem, contra quos Zelo justitia Job disputat, & demonstrat se non judicatum a Deo juxta processum justitiæ humanæ, in quo quidem ita fit: Sed a Deo, a quo impijs sapius prospera eveniunt, & justis adversa. (b) Job dum tentatur apparet scientia, quæ post multa tempora danda erat, Spiritu Sancto erudiente edoctus. Chrys. serm. de pat. Iob mihi tom. 1. fol. 573.

SYMBOLUM 52.

Tres Filie Iob cap. 42.

(a) **T**Res natas formâ pariles, non sorte parentis  
Nubila post fati tempora, Jobus habet.  
Post tenebras, post tot tempestatesque malorum,

[b]



[b] Jure Serena Dies prima vocanda fuit ;  
 Cassia sit, Cornu-stibij sit tertia : ternas  
 Sustulit [c] atra trias, reddidit alma Trias.

[a] Erant filia Job formosa valde, quia non sunt inventa mulieres in universâ terrâ tam speciosa. Job. 42. vers. 13. [b] Vocavit Job nomen unius Diem, nomen secunda Cassiam, nomen tertia Cornustibij vers 14. Tres Iobo filia secundum carnem, tresque ei virtutes juxta spiritum, quemadmodum inquit Apostolus manent tria hæc, fides, spes, Charitas: nudatus est omnibus, sed natura conditorem, trinum unumque Deum, non negavit, ait Chrys. homil. 3 de pat. Job. [c] id est, tres parca.

## SYMBOLUM 53.

*Magnus Dominus fortitudinis, Iudicio, Iustitiâ. Iob 37.*

**R**obore qui præstant, qui munia Judicis implent,  
 Aut quibus est dubij res dirimenda fori ;  
 Agnoscant Triadem solam, quæ robora præstat,  
 Munia dispensat, judiciumquæ facit.  
 Hanc penes est virtus, & jus, & norma regendi,  
 Formaquæ judicij, justitiæquæ modus.

## SYMBOLUM 54.

Tripliciter quis beatus,

1. *Qui non abiit in consilio impiorum*
2. *Et in viâ peccatorum non stetit,*
3. *Et in Cathedrâ pestilentia non sedit.*

*De Domino nostro Iesu Christo, hoc  
 accipiendum est, inquit S. Aug.*

**N**Oxia si vites confortia, jure beatus,  
 In nullâ figas impietate pedem.

Siqua



Siqua malignarum dentur subsellia legum,  
 Non sedeas, sed eas, ne pereas per eas.  
 Hæc quicumque facit Christi succensus amore,  
 Dignus erit Triadis figat in arce pedem.

Nota. Sicut diabolus impiorum, sic Christus, est piorum consilium, cathedra & Via, quæ ad æternam beatitudinem, quæ est clara Visio Sanctissimæ Trinitatis, pervenitur. Ex Chryl. hoc loco.

## SYMBOLUM 54.

*A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati sunt ps. 4.*

**C**opia frumenti tantarum gloria rerum,  
 Arguit immensum munificumque Patrem.  
 Filius umbratur generosi voce liquoris,  
 Qui speciem vini, vimque cruoris habet.  
 Flamen orontæo Dium quod manat olivo,  
 Allicit ad patrias agmina multa domos.

Nota. Christus est frumentum Dei, siquidem est panis vivus, qui de cælo descendit. Est vinum Dei: nam inebriabuntur inquit psalmista ab ubertate domus tuæ. Est oleum Dei, de quo dictum est, impinguasti in oleo caput meum inquit S. Aug.

## SYMBOLUM 55.

*Deus justus, fortis, & patiens psal. 7.*

(a) **D**ante cuique suum trino quid & æquius uno  
 Numine? dona bonis, suppliciumque malis.

I

Si



Si caput in fontis lentum vibraverit ensem,  
 Quis contra robur tale gigantis eat?  
 Vindictæ patiens, sitientes comprimit ignes,  
 Semper & invito percutit ense reos.

(a) *Institia est virtus dans cuique suum. D. Thom. 22. q. 58. art. 1.*

## SYMBOLUM 56.

*Verbo Domini cæli firmati sunt: & spiritu oris ejus omnis  
 Virtus eorum. psal. 32.*

[a] **Q**uod verbum; nisi supremi venerabile Patris?  
 Os, inclarescit quo Genitoris honos.  
 [b] Cælorum quo firma coit solidataque moles,  
 [c] Quos solido fusos nuncupat ære Jobus.  
 Spiritus est Domini, simul ejus spiritus oris,  
 A quo [d] cælorum profluit iste decor.

[a] *quis ergo facit per Verbum & Spiritum? nisi cujus verbum est, & cujus spiritus est? Trinitas ergo hac unus Deus. S. Aug. [b] scriptum est Verbo Domini cæli firmati sunt. Verbum enim Domini filius est Patris. Sed eosdem cælos, videlicet SS. Apostolos, ut tota simul Trinitas ostendatur operata, cujus Virtus firmaverit, repente de spiritus S. dignitate adjungitur: & spiritu oris ejus omnis Virtus eorum, S. Greg. homil. 30. in Evang. [c] Job 37. [d] quot sunt bona prædicantium, tot sunt ornamenta cælorum. S. Greg. loc. cit.*

## SYMBOLUM 57.

*Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus Psal. 66*

**I**effiadis monitu benedictio prima petenda  
 A Patre; nos benedic ter benedicte Pater.

A te.



A te Nate, Deus noster, benedictio danda ;  
 Nos facis effuso sanguine jure tuos.  
 Spiritus alme Deus benedictio funditur a Te,  
 Sicut inexhaustæ funditur æquor aquæ.

Nota. Nomen *Deus* hic & in Deut. cap. 6. ter repetitum, æquè ut Sanctus apud Isa, cap. 6. significat tres personas in Unitate essentiæ, nomen *noster* secundo loco additum, significat verbum nobis datum, & nobis natum. Ex Galat. lib. 2. cap. 1. Vel, ut ait Bas. & Severian. in Catenâ, Trias in monade significatur.

## SYMBOLUM 58.

*Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me. Psal. 118.*

**D**A tria summa Trias, (a) bonitatem, discere legem,  
 Et complere, Deum scire, meumque nihil.  
 Cœlitus hæc manant, nec sunt aliunde petenda,  
 Hæc Triadis summo flumina fonte fluunt.  
 Eximit hæc densâ nostras caligine mentes,  
 Illa coronabit, quod bene cœpit, opus.

[a] Plato inter hæc tria, inopia, sufficientia, effusio, distinguens, solam effusionem bonitatis Deo tribuit. Sicut enim crater aliquis vino plenus & super-plenus effluit & superfluit, ita & Deus, Deique bonitas. Ex Corn. a Lap. Gen. 17.

## SYMBOLUM 59.

*Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. Psal. 109. Non meminit hic unius personæ, sed unius, quæ cum unâ alterâ loquitur ait. S. Chrysf. hoc loco.*

**C**Ui dixit Dominus? Genitum quem Patre fatemur,  
 Humanâ est Dominus conditione meus.

Non



(35)

Non tibi sumpta caro loca præripit æqua parenti,

(a) Dextra Patris, sedes debita jure tibi est.

E Genito Patrem, pariter redamante, resultat

Mutuus amborum Spiritus, unus amor.

(a) Quem admodum non dicimus filium esse patre majorem, ita nec tu eum minorem, & inferiorem dixeris: id enim significat societas sessionis. Chrys. in hunc Psalmum. & rursus: illud quod natum est ex semine David, ita honoratum est, ut esset Dominus David. Sic Episcopus factus, laici filius, fit Dominus patris sui. &c.

### SYMBOLUM 60.

Deus omnia disposuit in numero, pondere, & mensurâ. Sap.

II. apud Corn. a Lap. præf. in Isaiam.

**I**n finita Trias finito limite cuncta

Condedit, & certi ponderis esse jubet.

Quæ bona, quæ mala sunt metitur, & omnia librat,

Virtutes numerat, ponderat acta Trias.

Effigiem numero, mensurâ, pondere, rebus

Indidit; ad Triadem cuncta referre decet.

### SYMBOLUM 61.

Dilectus meus candidus, rubicundus, electus ex millibus. Cant.

5. Habetur pro Symbolo in Nucleo. Coppenst. Dom. SSS.

Trin.

**D**e candore Patris candor, de lumine lumen;

(a) Jesus nos salvans a Patre nomen habet.

Filius, & Sancti rubicundus amoris ab igne,

Pneumatis, atquè sui flagrat amore Patris.

Can-



Candet ab electo millenis millibus uno,  
Hujus & effuso terra cruore rubet.

(a) Matth. 1.

SYMBOLUM 62.

*In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo,  
& hominibus 1. Concordia fratrum 2. Amor proximorum.  
3. Vir ac mulier bene consentientes Eccl. 22.*

**R** Ara solo, sed grata polo concordia fratrum;  
Vicinos pacis conciliantis amor;  
Grataque sunt Triadi sociantia vincula mentes,  
Expertes litis vir mulierque placent.  
Unio nata Deo, Satanæ divisio proles;  
Ad Triadem pandunt foedera pacis iter.

SYMBOLUM 63.

Funiculus triplex difficilè rumpitur. Eccl. 4.

*Hebraica legit: Filium trinum non citò rumpitur. Galatians  
lib. 2. cap. 4. de Trin. Mysterium, inquit, trini & unius  
Dei non citò discutitur.*

**F**uniculus triplex ægrè dirumpitur, ægrè  
Fœdus amicitiae, quod tria vincla ligant.  
Funiculo Triadis non arctiùs illigat alter,  
Fœdera quæ fuerint hoc sociata, manent.  
Funiculus triplex, nullâque solubilis arte  
Herculis & nodus Gordius ipsa Trias. (a)

(a) *Isa. 25. verè tu es Deus absconditum &c.*

SYM-



## SYMBOLUM 64.

Tria sunt difficilia mihi.

*Via aquilæ in cælo, colubri super terram, via navis in medio mari. Proverb. 30. habetur pro testimonio SSS. Trinit. in Nucleo Coppenst. Dom. Trinit.*

**Q**Uæ sunt difficili peruestiganda labore,  
 Enumeret Sapiens, Numinis ore, tria.  
 Pressa solo colubri vestigia, qua Jovis ales  
 Pervolet, a navi signa relicta salo.  
 Arcanæ Triadis magis inscrutabile Numen,  
 Quod laudare queas, enucleare nequis.

## SYMBOLUM 65.

*In duobus est contristatum cor meum, & in tertio iracundi a mihi advenit. Vir bellator deficiens per inopiam, Vir sensatus contemptus, & qui transgreditur de justitiâ ad peccatum: Deus paravit eum ad romphæam. Eccl. 26.*

**S**I bellatoris virtus mercede negatâ  
 Languet, & fiat Martis alumnus inops:  
 Si quo dignus erat sapiens, orbetur honore,  
 Hæc summæ Triadi causa doloris erunt.  
 At qui justitiæ veneranda repagula rupit.  
 Ictus ter-gemini fulminis ense ruet.

SYM-



## SYMBOLUM 66.

Trecenti Viri Jud. 7. habetur pro Symb. apud.  
Ven. Bedam.

*Et ait Dominus ad Gedeon, in trecentis viris, qui manu ad  
os proijciente lambuerint aquas, liberabo vos, & tradam in  
manu tuâ Madian.*

**Q**ui duce fuderunt Madian Gedeone [a] trecenti,  
Stando fluentia manu proijciente bibunt.

Unde tibi Gedeon tantæ fiducia prædæ?

[b] Qualis arena jacens, æquoris æquat aquas.

Part a trophæa docent, Triadis sub schemate, multas

Myriades modicâ posse perire manu.

[a] Eodem modo Gen. 14. Abraham 300. & paulò pluribus vernaculis, in tres turmas  
divisis, cumque tribus socijs, puta Aner, Escol, & Mambre, bellum & victoriam conse-  
cit. Quibus Liberius Papa Epist. ad orient. & Rup. putant præfiguratos fuisse trecentos,  
& paulò plures patres, fidei pugiles, qui in victrice Nicæa Arium, hostem Sanctiss. Trinit.  
vicerunt & damnarunt. Leonides rex Lacedæmoniorum cum trecentis in castra Xerxis  
numerossima irrumpens, non ante cadendi finem fecit, quam sessus cumberet. Qui ad  
suos: prandete hic commilitones apud inferos canaturi [b] eodem cap. vers. 12. & 13.

## SYMBOLUM 67.

*Et clamabant alter ad alterum, & dicebant Sanctus, Sanctus,  
Sanctus Dominus Deus exercituum juxta quod canticum ter  
Sanctus in Missâ dicitur. Isa. 6. Apoc. 4.*

**I**amquè petens propiùs Sanctorum Sancta Sacerdos,  
Ore locuturus proliciente Deum.

Inter



Inter cæligenas hac sorte potentior illis,  
 Intonat Angelicum ter geminando melos.  
 Nempè sacram ter Sancta Trias sistetur ad aram,  
 Hinc priùs Angelicis ter veneranda tonis.

N. 1. Hanc quoque Trinitatem personarum, atque Unitatem naturæ propheta Isaias r. velatam, sibi non tacuit, cum se dicit seraphin vidisse clamantia: Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus sabaoth. Ubi prorsus in eo quod ter dicitur Sanctus, personarum trinitatem; in eo verò quòd semel dicitur Dominus Deus sabaoth, naturæ divinæ cognoscimus Unitatem. S. Aug. de temp. serm. 38. aliàs tom. 10. fol. 139. Non eis sufficit semel clamare Sanctus, neque bis, sed perfectum numerum trinitatis assumunt, ut multitudinem Sanctitatis manifestent Dei, quæ est trinæ Sanctitatis repetita communitas, Sanctitas Patris, Sanctitas Unigeniti Filij, Sanctitas Spiritus S. Etenim Sanctificans & Sanctificati ex uno omnes. Orig. homil. 7. in Isaiam.

N. 2. S. Ignatius, tertius a S. Petro Antiochenus Episcopus, hanc visionem Angelorum per responsorios hymnos Sanctam Triadem laudantium vidit, & modum visionis, Antiochenæ ecclesiæ tradidit. Unde ad omnes ecclesias ista traditio promanavit; & hæc est ratio hymnorum responseriorum, &c. ita Socrates lib. 6. hist. cap. 8.

### SYMBOLUM 68.

*Sicut ambulavit (tres dies nit S. Hieron) servus meus Isaias nudus & discalcentus, trium annorum signum & portentum erit super Ægyptum & Æthiopiam &c. Isa. 20. ex S. Aug.*

**A**mbulat en Vates (a) nudatus membra, pedesquè,  
 Nuntiat annorum bella necesquè trium.  
 Ægyptum Æthiopsquè manent irequè minæquè,  
 Nudentur, vatis more videntis, eant.



En Trias, ut fugiant clades, tribus antè diebus  
Præmonet, & veniam supplice corde rogent.

(a) Nudit as triduaana! Isaiã fuit symbolum triennialis foliatici. in Agypti & Ethiopia. Vide  
Corn. a lap. Isa. 20.

## SYMBOLUM 69.

Quis appendit tribus digitis molem terræ? Isa. 40. Sanctam Tri-  
nitatem Paschasius lib. 1. de spiritu S. cap 2. per tres digitos  
accipit.

**E**N circumfuso libratur in aëre tellus,  
Fulcrorum nullâ vi subeunte vices.

(a) Trina basis librat. Sit prima, Potentia Patris.

Inde coæterni nata Sophia Dei.

Tertia, procedens Bonitas ab utroque, columna  
Facta soli, cælo lapsa columba, fuit.

(a) Ut Atlas sistit, sic Sancta Trias verè, non humeris, sed quasi leve pondus, tribus  
digitis totum terra globum Librat & sustinet.

## SYMBOLUM 70.

Trinum AAA. Jerem. 1.

Jeremias trino suspirio suam de Sanctiss. Trinit. mysterio infan-  
tiam profitetur dicendo: AAA, Domine Deus, ecce nescio  
loqui, quia puer ego sum. Ita Viegas in Apocal. 9. sect. 5.  
rum. 4. & alij.

**C**Riminis (a) Helciades maternâ purus ab alvo,  
Exitus, & vitæ, cui sine labe, tenor.  
Mentis ut expendit Triadis mysteria lance,

K

Effi-



Effigiem pueri balbutientis habet.  
 Ut puer expressit Triadis ter symbola, namque  
 Pingitur, A, punctis una figura tribus.

Nota. Loquebatur, inquit Corn. a lap. ex Viegā, cum Ieremia S. Trinit. Pater  
 dicens, *noiv te, Filius, Sanctis cavite, Spiritus S. prophetam dedi te.* (a) id est, fili-  
 us Helciae.

## SYMBOLUM 71.

Tres conditiones juramenti liciti. Ierem. 4.

*Iurabis, vivit Dominus, in veritate & Iustitiā & Iudicio.*

(a) **Q**Uando levans dextram, Triadem pro teste vo-  
 (b) Verum, Iustitiam, Iudiciumq; cole. (c) *cabis,*  
 Mendaci potes ore loqui, dare verba sodali,  
 Numen at omniscium fallere nemo queat.  
 Verba Trias librat, nūm sint conformia vero;  
 Provida sint igitur, pondere justa suo.

(a) hac ceremoniā veteres jurabant, levando scilicet manum in caelum, ut patet Gen. 14.  
 vers. 22. (b) si quid horum trium desit, periurium est, inquit S. Hieron. D. Thom. 3.  
 quest. 89. art. 3.

## SYMBOLUM 72.

Terra, Terra, Terra. Ierem. 22.

*Idem Ieremias trinā objurgatione terram monet ut trini Dei  
 vocem audiat dicens Terra, Terra, Terra audi sermonem  
 Domini. Corn. a Lap. praef. in Isa.*

**P**ULVIS, humus, vel fumus homo es, quæ proloquor  
 Bis canitur furdo, ter tibi Terra cano.

(audi:

(a) Ex-



(a) Excipe verba Dei gremio ceu semina tellus,  
 Surgat ut in pingui copia major agro.  
 Figis humo natam divino semine mentem,  
 Ociùs ad Triadem, ter revocata, redi.

Nota. Terra ter reperitur, quia ter Judæa monita est a Deo, puta in trinâ trium Regum clade, Joachas, Jeakim, & Joachin. Corn. a Lap. hoc loco. (a) Luc. 8.

## SYMBOLUM 73.

Ezechiel vidit SSS. Trinit. in curru gloria sub trinâ specie, hominis, electri & ignis. Ezech. 1. Corn. a Lap. loco penult. cit.

Viderat incessos flagranti Numine currus,  
 Humani vultus forma regentis erat.  
 Electri caput & pectus fulgore coruscant  
 Pube tenus, plantas flammeus ardor obit.  
 (a) Electrum paleas, ad se Trias aurea mentes  
 Allicit, ultrici territat igne reos.

Nota. Erat imago supra lumbos electrina, infra lumbos ignea, quia post ignem, id est, iram Dei, sequitur electrum, id est, misericordia. Abacuc 3. Electrum enim cum vim habeat attrahendi, & alligandi paleas, symbolum est misericordie. Ita Maldonatus hoc loco.

## SYMBOLUM 74.

Tres Viri Justi qui quasi tres in orbe soles justitiæ ac  
 patientiæ emicuerunt.

Noë, Daniel, Iob. Ezech. 14. cap.

Tres mirare viros, quorum patientia Trino  
 Grata Deo, ternis exagitata modis

Ipsè



(43)

Ipse Noë , stirpis nostræ reparator & orbis ,  
Fluctuat iratas anxius inter aquas.  
Rictibus obijceris Daniel velut esca, Leonum ,  
Conjugis opprobrium te Jobe , fimus habet.

SYMBOLUM 75.

Tres pueri. Daniel. 3.

*Ananias, Misael & Azarias nolentes adorare statuam, quam  
Rex Nabuchodonosor erexerat, ligati mittuntur in fornacem  
ignis ardentis, in qua illæsi manentes benedicunt Dominum.  
Habetur pro symb. apud Chryf. tom. 4. pag. 618. &  
alios.*

**D**esine Rex pueris moliri incendia ternis ,  
Quos Triadi sacros (a) entheus urit amor.  
Effere mente bifons , fera mox amensquè futurus ,  
Nil tuus ignis obest , ignis in igne perit.  
Una trium virtus , laus una , unusquè triumphus ,  
Ignea vis Triados rore subacta jacet.

(a) Commentatores Dan. 3. v. 51. & 52.

SYMBOLUM 76.

Trium Puerorum hymnus. Ibidem.

*Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant Deum.*

**T**res pueros lambit fervens Babylonica fornax  
Ignibus, hymnidicum tres cecinere melos.

In



(44)

Invitant socios ad cantica, quidquid & orbis  
Ad Triadis laudem, summus & imus habet.  
Igneſcant, o tyranne tuis tria corpora flammis,  
Mens Tri-potens mentes tres rapit igne ſuo.

SYMBOLUM 77.

Tria tempora  
*Quibus Daniel interdum orabat.*

**P**Oplite ter flexo vates curvatus adorat  
Dans Triadi quovis vota precesque die.  
Belſafarem, Chriſti pia turba ſecuta Prophetam,  
Dedicat æterno (a) tempora terna Deo,  
Quiſquis amas Trinæ Monadis captare favorem,  
Hanc vicibus, quavis luce, precare tribus.

(a) Videlicet mane, meridie, vespere, in cujus memoriam triplex pulſus, & triplex ictus campana datur apud Chriſtianos.

SYMBOLUM 78.

Tres principes. Dan. 6.

*Placuit Dario, & conſtituit ſuper regnum ſatrapas centum viginti, & ſuper eos Principes tres, ex quibus Daniel unus erat, ut ſatrapæ illis redderent rationem, & Rex non ſuſtineret moleſtiam.*

**D**Arius (a) tribus impoſuit moderamina rerum  
Supremis Ducibus, Principibusque viris.

Totius



Totius una Trias mundi moderatur habenas,  
 Orbis & his paret machina trina Tribus.  
 O homo! jam Triadi desiste resistere, motus  
 Siste tuos, carnem vince, resiste stygi.

(a) Apud Aegyptios & Babylonios & alios, post Regem & Reginam summi olim erant  
 Tristata, sive Trium-viri; puta tres principes, qui alijs minoribus principibus praeerant.  
 Et talis erat Daniel.

## SYMBOLUM 79.

Tres aulici & Tria fortissima 3. Esd. 3.

*Dario dormiente tres corporis ejus custodes problema moverunt,  
 num Vinum, Rex, Mulier, an Veritas praesent.*

**R**Obore fortè trium quæ sit fortissima rerum  
 Ingenuæ pubis differit una trias.  
 Vi præstare merum, nil Rege valentius esse,  
 Fœmineo sexu fortius esse nihil.  
 Viribus excedat longè cum cætera Verum,  
 A Triadis vivo vis ea fonte fluit.

## SYMBOLUM 80.

Mane, Thekel, Phares. Dan. 5.

*A Deo Missus est articulus manûs, quæ scripsit hoc quod exara-  
 tum est. Hæc est autem scriptura, quæ digesta est: Mane,  
 Thekel, Phares, & eadem nocte interfectus est Balsasar  
 Rex Chaldæus juxta interpretationem Danielis. Habetur  
 pro testimonio SSS. Trinit. in Nucleo Coppenst. loco supra c.*

**T**Res digiti exarant tua Balsasar (a) horrida fata,  
 Diriguère comæ contremuère pedes.

Hæc



Hæc operata Trias tribus est ænigmata signis,  
 (b) Mensurâ, numero, pondere regna notat.  
 Præscius alterius fati prænoſce (c) futura,  
 Ne minùs exolyas, providus antè, cave.

(a) A Cyro eadem nocte captâ Babylone. Vide Rup. Dan. 5. quomodo Cyrus Euphratem in multas fossas derivaverit, & per siccum alueum in Urbem penetraverit. (b) Ita Theodor. & propriè hoc facit Deus in statera Judicij sui. Unde (c) tria tropologicè præavertenda. Mane id est mors, Tekel Judicium; phares infernus.

## SYMBOLUM 81.

Tres dies & tres noctes.

Quibus Propheta Jonas fuit in ventre Ceti. Cumque de ventre orasset Dominum, ipsius jussu in aridam evomitur. Ionæ 2. apud S. Aug. serm. 90. de temp. vide infra subdivis: tertiam Symb. 59.

**V**atem sorbuerant immania guttura Jonam,  
 (a) Cui tumulus; ceti jam propè venter, erat.  
 Extincto similis, vivo jacet ille sepulchro,  
 Concipit ad Trinum vota precesque Deum.  
 Adstitit ipsa Trias terno permota dolore;  
 Tertius, e Ceti reddidit ore, dies.

(a) Ex Fona gentiles videntur sumpsisse fabulam sui Herculis, quem fixerunt a balanâ: devoratum, & ex eâ incolumem, tamen depilatum, evasisse.

SYM



## SYMBOLUM 82.

*Et succidi tres pastores in mense uno. Zach. 11.*

**I**mpietate, tribus jam fila putentia, vitæ  
 Dura repentinâ fornice Parca fecat.  
 Judicio Triados (a) tres occubere tyranni.  
 (b) Ifacidum Regem tela cruenta petunt;  
 Corruit Ochofias pariter, moxq; æmula vatum  
 Facta canum rabido Jezabel esca gregi.

*(a) Lege 4. Reg. 9. de illis enim tribus, quos ibidem legimus occisos a Jehu intelligit Tyrannus hunc Zach. locum. Alij aliter. (b) Foram.*

## SYMBOLUM 83.

*Columba ter ex Arcâ Noë emissa*

**P**rima, Patris nondum sopitas nuntiat iras  
 Nec cubat in fœdis (a) casta Columba locis.  
 Symbolon, inde redux, pacis tulit ales, olivam  
 Filius irarum conciliator erit.  
 Ter, notat effusis, dilapsa per aëra pennis  
 Flaminis illapsas corda beantis, aquas.

*Nota (a) Ad extinguendos hominum eâ tempestate fœdè luxuriantium ignes, immissam diluvij aquas.*

SUB-



## SUBDIVISIO SECUNDA

Trinitas diversarum rerum ex Scripturis novi Testamenti, quòd ad ea, quæ mysterium Divinæ Triadis evidentiùs probant, conscripta; & tridistichis ad dictum mysterium accommodata.

## PRÆNOTATIO.

**V**eteris Testamenti Scripturæ ex multis locis hætenus adductæ, Divinæ Trinitatis mysterium insinuunt quidem, in multis etiam persuadent, quem admodum & SS. PP. in istum finem ad sæpè dictum sacrosanctum mysterium eas applicant, illudque explicare student, non tamen expressè probant: omnes enim scripturæ, quas ad exemplum vel imitationem Augustini, Chrysostomi, Bedæ, aliorumque allegavimus, ita non possunt accommodari, quin & ad alium sensum magis genuinum deduci, ut probat Abulensis opusc. de SS. Trinit. initio. Et videtur providentissimus Deus pro veteri illo statu ita disposuisse, tum ob statûs imperfectionem, cum ob hominum ruditatem, nec non mysterij sublimitatem, ac in idololatriam populi proclivitatem: adeoque aperta revelatio mysterij hujus multis, vel omnibus vulgò, in ruinam & idololatriæ occasionem cessisset, dum ex pluralitate personarum

L

sonarum



sonarum, Deorum pluralitatem collegissent. Verùm susceptâ lege Evangelicâ, prædictum mysterium impossibile est negare, ut idem probat Abulensis loco cit. & Theologi apud D. Thom. 1. p. q. 31. & 32. & alibi. Ex eis itaque Scripturis quæ unum trinumque Deum evidentius probant, & necessariò convincunt, priùs in hac subdivisione quædam Symbola profereamus, quàm ad alia ex eodem novo Testamento procedamus, quæ non ita accommodari possunt.

## SYMBOLUM I.

*Euntes Baptizate in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.  
Mar. 16.*

**G**Ratia quanta sacris Domini promanet ab undis,  
Effari linguâ, fingere mente nequis.  
Corpus ut abluitur, vertex dum tingitur imbre,  
Mens humana sacri Flaminis igne flagrat.  
Ingreditur ter Sancta Trias, depellitur orci  
Spiritus, ac animam gratia multa beata.

Nota. 1. Baptizare iussit in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, id est, in confessione & Auctoris, & Unigeniti, & Doni. Auctor unus est omnium: unus est enim ingenitus Deus Pater, ex quo omnia; unus Unigenitus Dominus noster Iesus Christus, per quem omnia; & unus Spiritus, Donum in omnibus. Hil. de Trinit. lib. 2. in initio.

Nota. 2. Christus cum Deus & homo sit, ut Deus honorem recipit, cum Patre & Spiritu Sancto. Ut homo, illum defert. Detulit autem maxime, cum in mundo prædicavit Trinitatem, & iussit baptizari omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. ex S. Aug. lib. 3. contra Maxim. 5.

SYM-



## SYMBOLUM 2.

*Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua & ecce aperti sunt ei caeli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam; & vox de caelis: hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui Matth. 3.*

**F**ulget ut in parvis Trias illustrata figuris,  
In magnifice locum symbola rebus habent.

Ast ubi Jordanis Christi caput, imbre madescit,

(a) Labitur empyreis sedibus ipsa Trias.

Vox Patris insonuit, niveoque sub alite Sanctum

In Nati summo vertice Flamen adest.

(a) Dum dicit complacui, totam simul Trinitatem comprehendit, quia in homine Christo tota complacuit Trinitas. Adria. 1. Epist. contra Elip. tractans illud Matth. 3. supracit.

## SYMBOLUM 3.

*Dixit Petrus ad Iesum, Domine bonum est nos hic esse. &c. adhuc eo loquente nubes lucida obumbravit eos, & ecce vox de rube: hic est filius meus dilectus. Matth. 17.*

**G**ratia Jordanis manasse probetur ab undis,  
(a) In Thabor Triadis gloria monte micat.

In vultu rutilat (b) phœbei luminis ardor,

Vestimenta alben, candidiora nive.

[b] Hic Tria (si licitum est) figat tentoria Petrus:

Falleris, in Triadis monte locanda quies.

[a] Sicut mysterium Trinitatis Domino in Jordane baptizato declaratur, ita in monte clarificato, quia quem in baptismo consistemus, in resurrectione collaudabimus: nam hic Spiritus S. in nube lucida, illic in columba; quia qui nunc simpliciter corde fidem, quam percipit, serrat, tunc aperta luce contemplabitur, quod crediderat. Ven. Ecd. Matth. 17.

(b) v. 2. & 4. cap 17.

SYM-



## SYMBOLUM 4.

*De eodem & tribus specialibus Christi discipulis Petro, Ioanne,  
Iacobo. ibidem.*

[a] **T**res in monte Thabor Christi speculantur hono-  
Testantur Natum complacuisse Patri. (res,  
Os sophiæ verbumquè fluens audire iubentur,  
Spargere per gentes postea munus erit.  
Sanguine tres fuso Christi testantur amorem,  
Nempe Patris verbum constat in ore trium.

*(a) Tres solum ducit secum Christus, vel quia multi vocati, pauci verò electi; vel quia hi  
qui nunc Sanctis: Trinitatis fide sunt imbuti, in resurrectione ejus aeterna visione merentur  
letari. Ven. Beda.*

## SYMBOLUM 5.

*Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis. Philippe qui vi-  
det me videt & Patrem, quia ego in patre, & Pater in me  
est. Ioan. 14. quibus verbis significatur intima & perfecta  
inhabitatio unius personæ S. Trinit. in aliâ, & e contra,  
quam Theologi circuminseffionem vocant. Ita comment. com-  
munitè. Olim dicebatur Deo: tuus est homo, nunc dicitur ho-  
mini: tuus est Deus. O homo si tu sufficis Deo, sufficiat tibi  
Deus. Ex S. Cypr.*

**N**omino si Patrem, Triadem dixisse videbor,  
Filius ut desit, desinit esse Pater.  
Non poterit Natus fingi sine Patris amore,  
Spiritus est Nati nexus amorquè Patris.

Jure



Jure rogas, ostende Patrem, meritòquæ Philippe  
Sufficit hic nobis (a) sufficit omne bonum,

(a) Dat seipsum nobis Deus, & sufficit nobis, Nolite timere inopiam, si Deus se det nobis, sufficit nobis. Si dives Deum non habet, quid habet? Beda 1. Cor. 2. & alibi, super illud Philippe qui videt me videt & Patrem: non quòd ipse sit & Pater & Filius, quod in Sabellianis, qui vocantur etiam Patri-pastiani, catholica fides damnat, sed quòd tam similes sint Pater & Filius, ut qui unum norit, ambos noverit, Sicut de duobus simillimis dicimus: vidisti illum? vidisti hunc: nam nisi duo essent Pater & Filius, non diceretur si cognovissetis me & Patrem meam cognovissetis &c.

## SYMBOLUM 6.

Cum venerit Paracletus quem ego mittam a Patre meo, ille testimonium perhibebit de me. Ioan. 15.

**L**apsus in hunc orbem, veneris, cum venerit, os for  
Spiritus, intactæ mentis amator erit.

(a) A Patre mequæ simul mittetur, utriquæ coævus,  
Testis erit vitæ cum Deitate meæ.

Doctor erit veri, falsi convictor & hostis.

Perfidia pœnas vilis Apella dabis.

(a) Pater Filium misit & Spiritus. Spiritum quoquæ & Pater misit, & Filius. Pater misit, quia scriptum est: Paracletus autem ille Spiritus S. quem Pater mittet in nomine meo. Filius misit quia dixit: cum venerit autem Paracletus quem ego mittam vobis a Patre meo Spiritum Veritatis. Si ergo se invicem Filius & Spiritus mittunt, sicut Pater mittit, non subjectionis injuria, sed communitas potestatis est. Ex Ambrosio de Spiritu S. lib. 3. cap. 1.

## SYMBOLUM 7.

Tres sunt qui testimonium dant in Cælo: Pater, Verbum, &  
Spiritus S. & hi tres unum sunt. 1. Ioan. 5.

**T**Estatur Genitor charum super omnia Verbum,  
Se Verbum, charus Filius, esse Patris.

Spiri-



Spiritus ignitis effusus ab æthere linguis,  
 (a) Unum testatur Numen inesse tribus.  
 Verior unde fides possit vel major haberi?  
 Messias testis, Spiritus, atque Pater.

(a) Unde bene dicitur, unum sunt, non unus. Vide Hil. lib. 7. de Trin. Et Dion. de Div. Nom. cap. 2. Divinas personas, dicit, esse conjunctas in unum discretè, & discretas conjunctim.

## SYMBOLUM 8.

Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Rom. 11.  
 Simile est ad Eph. 4. in istis verbis. Deus &c. qui est super  
 omnia, per omnia, in omnibus.

**P**incipium Pater est, perstat quo conditus orbis,  
 Per quem, nì per te Nate redemptus homo?  
 In quo delictum mentis, sincera voluptas,  
 Pax animi? in Sancto Pneumate sola quies.

(a) Ex quo, per quem, in quo sunt omnia, trinus & unus  
 Est Deus, est rerum (b) finis, origo simul.

(a) Cum dixisset Apostolus ex quo omnia &c. Trinitatem insinuasse creditur: nec tamen subjecit, ipsis gloria, sed ipsi. Pater non habet Patrem de quo sit, Filius autem de Patre est, ut sit, atque ut illi coæternus sit. Imago enim si perfectè implet illud, cujus est imago, coæquatur illi, & non illud imagini suæ &c. Ille igitur ineffabilis quidam complexus Patris & imaginis non est sine perfectione, sine charitate, sine gaudio. Illa ergo dilectio, delectatio, foelicitas vel beatitudo (si tamen humanà aliquà voce dignè dicitur) est in Trinitate Spiritus S. non Genitus, sed Genitoris, Genitique suavitas, ingenti largitate profundens omnes creaturas pro captu earum, ut ordinem suum teneant, & acquiescant. Trinitas hæc unus Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ven. Bedæ Rom. 11. (b) Isa. 41.



## SYMBOLUM 9.

*Gratia Domini nostri Iesu Christi, & Caritas Dei, & communicatio S. Spiritus &c. 1. Cor. 13.*

**G**ratia parta tuis o Chrifte doloribus; an non  
Manat inexhausto cordis amore tui?

[a] Fonte Patris pariter meritorum hæc traxit abyffus  
Principium, flumen Flaminis inde fluit.

Fundit amor Patris, Nati tōrmenta merentur,  
Partitur Flamen, participesquè facit.

(a) *Una pax, una gratia Patris & Filij & Spiritus S. Ambr. de S. Spiritu lib. 1. cap. 11. ad Gratianum Aug. Et iterum: nec solum pacem, & gratiam legimus Patris & Filij & Spiritus S. sed etiam charitatem & communionem fidelis Auguste. Amb. ibidem.*

## SYMBOLUM 10.

*In salutationibus Paulinis Tria memorantur.*

**P**aulè ter optatas scripto vel voce salutes  
Si geminas, (a) Triadis nomine semper eunt.

Gratia per natum, per larga fluentia cruoris,  
Pax datur a bellum dissolvente Patre

Optentur (pax nulla datur) vel mille salutes,

Nec nisi per sanctum gratia Flamen, Amen.

(a) *Salutationes Paulinæ Trinitatem insinuant per gratiam & pacem a Deo & Domino nostro Iesu Christo: quia non est gratia & pax, nisi in Spiritu S. Aug. tom. 10. fol. 230*

Nota. 1. Denotatur etiam SSS. Trinitas ad Tit. 3. his verbis: apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri, puta Patris; qui saluos nos fecit per lavacrum regenerationis & renouationis Spiritus S. quem effudit in nos abundè per Iesum Salvatorem nostrum. Ubi distinguitur Filius a Patre & consequenter tres personæ distinctè notantur. Ex S. Hieron. in cap. 3. ad Tit. & alijs Patribus.

No-



Nota. 2. Humanitas seu philanthropia, benignitas, charitas ad Tit. 3. sicut & 2. Cor. 1. aptè attribuitur Deo Patri, gratia & saluatio Filio; renovatio; regeneratio, communicatio Spiritui S. præsertim in opere salutis nostræ quia a Patre, Patrisque charitate & benignitate cœpit nostræ redemptionis exordium, qui sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Per Filium venit gratia; utpote qui nos nihil promeritos, imo malè meritos suâ morte redeimit, omnemquè gratiam promeruit. Gratia vero, gratiaquè donorum distributio, communicatio, & participatio per Spiritum S. facta est. Hinc Ambros. explicans illud 2. Cor. 1. gratia Domini nostri Jesu Christi, &c. Trinitatis, inquit, hæc complexio est, & unitas potestatis, quæ totius salutis perfectio est: dilectio enim Dei misit nobis saluatorem Jesum, cujus gratia saluati sumus, & ut possideamus hanc gratiam salutis, communicatio facit Spiritus

## SYMBOLUM II.

*Quoniam per ipsum (scil. Christum) habemus accessum ad Patrem in uno Spiritu. Eph. 2.*

**T**erreno tua vota volens depromere Regi,  
Nescius es moris, clusius esquè foris.  
Clavigerum quæres, opus est ductoris ad aulam,  
Is referat, (a) *cunctis* imbuat ille, *modis*.  
Ad Patrem trepidas? Natus tibi claviger esto,  
Spiritus at Doctor, Ductor eritquè tuus.

(a) *Alle mode, ut hodie in aulis.*

Nota. Alludimus ad Reges, ad quos non patet accessus nisi per principes, qui sunt Regi a cubiculis, gestantquè clavem auream regij cubiculi, qui què ingressuris procurant ductorem & instructorem ut sciant quo gestu, reverentiâ, formâ, modo debeant alloqui & compellare Regem; Ita in aulâ Dei Rex est Pater, Princeps parans aditum Christus, Ductor est Spiritus S.

SUB-



## SVBDIVISIO TERTIA.

Trinitas diversarum rerum ex lege Evangelicâ, alijsque novi Testamenti scripturis conscripta, & vel ad mysterium Divinæ Trinitatis, vel alium pium sensum accommodata.

## SYMBOLUM I.

Triples mundi status sive lex.

*Naturæ, Scriptæ, Gratiæ. Ex Corn. a Lap. in Amos. 1.*

**Q**uos vultu vult Sancta suo Trias esse beatos,  
(a) (Vult omnes) triplici ducere lege solet.

Naturæ lex prima fuit (lux indita menti)

Quâ velut (b) erasâ pectore, scripta datur.

Tertia liberior, prisci què gravaminis expers

Gratia Christi adum, quàm leve reddit onus!

(a) 1. Tim. 1. (b) Aliter extinctâ, sed tunc omittatur immediatè præcedens parenthesis.

## SYMB. de eodem.

**M**itior ac melior datur inspirata vetustis  
Lex (a) Patribus, quando littera nulla fuit.

Durior Hebræis lex fit, duræque popellus

Cervicis, gemuit sub graviore jugo.

M

Noct



Nocte dein pulsâ lux Evangelica fulsit

(b) Clarior, e trini cognitione Dei.

(a) Scilicet Abel, Enoch, Noë, Abraham, Isaac, Jacob. (b) In veteri lege obscura notitia Sanctiss. Trinit. in novâ clarior est ut supra habitum fuit.

Nota. Sub lege naturâ in quadam unitate Patres Deo serviebant. Lex addita est ad naturam, ut quod mala consuetudo vitiavit in naturâ, lex reformaret in litterâ & fuerunt duo lex, & natura. Venit gratia. per Jesum Christum, & sunt tria, natura, lex & gratia Beda Joan. 12

SYMBOLUM 2.

*Triplex. Salutatio Divæ Virginis.*

**L** Abitur empyreis ales de sedibus, aufert  
Væ per Evæ lapsum, (a) fertque salutis ave.  
Filia lecta Patris, Verbi purissima Mater,  
Sponsa salutatur Flaminis (b) imbre tumens.  
Baptistæ Genitrix; Christi (c) pia turba salutat:  
Laus, Triados templum, ter repetita decet.

(a) Luc. 1. (b) ibidem (c) id est Ecclesia in officio divino.

Nota. Ave gratia plena Dominus tecum: nec tantum Dominus Filius, quem carne induis, sed & Dominus Spiritus, de quo concipis, & Dominus Pater, qui genuit, quem concipis. Bernard. super missus est hom. 3.

SYMBOLUM 3.

*Tria mira ac tres menses Luc. 1.*

**F** Oeta Deo properat montana per ardua Virgo,  
Athletam Dominus, quem simul ungat, adit.  
(a) Reddita vox muto est, (b) impletur Flamine Mater,  
(c) Ventre latens saltu prodit adesse Deum.

[d]



[d] Si tria mira Trias mox ipso in limine patrat  
Virginis obsequium quanta trimestre parit ?

(a) Luc. 1. v. 64. (b) v. 41. (c) 44. [d] D. S. Augustinus lib. Comment. in Luc. 1. circa finem. S. Amb. & plures alij sancti Patres ita argumentantur.

SYMBOLUM 4.

*Tria nomina Divæ Virg. in scripturis Filia Patris, Mater  
Fili, Sponsa Spiritus S.*

**D**iceris æterni lectissima Filia Patris,  
Legit ab æterno te Pater ipse die.

Dum subijt ventrem, subijt Patris entheus ardor

Ipse vices [a] sponsæ jam tibi nomen erat.

Nascitur at purâ Patris dum virgine proles,

Magna ter Augusto nomine Mater eras.

[a] Dum desponsaretur fabro, cæli nupsit Architecto. S. Aug. Serm. 18. de SS. Tom. 10. pag. 413.

SYMBOLUM 5.

*Tres Angeli nominatim ad terram missi.*

**M**illia pennigerûm quis censeat agmina Cœlo;

Cuncta sub imperio quæ moderantis ovant ?

Victor io ! [a] Michaël Triadis pro Numine vindex,

Primus in hostiles contulit arma manus.

Mercurius verbi [b] Gabriël; [c] Raphaëlque viarum

Consciis, ad Triadem qui mihi ductor eat.

[a] Epist. Jud. 9. (b) Luc. 1. (c) Tob. 5.

N. Septem Angelorum nomina recensentur in quodam libro Antonij Duce de septem Angel. principibus scil. Michaël, Gabriël, Raphaël, Uriel, Schealtiel, Jeadriel. Barachiel Verum hæc & alia rejiciuntur, tum a S. Bonif; tum a PP. Rom. concil. Epist. 9. ad Zachar. Papam his verbis: non plura quam trium Angelorum nomina agnoscimus, id est, Michaël, Gabriël, Raphaël. Vide Fab. Just. in Tob. 12.

SYM-



## SYMBOLUM 5.

*Beata virgo triennis in templo præsentatur.*

**V**irgo tenella petit Solymi subsellia templi,  
 Facta puellari dux imitanda choro.  
 Siftitur æterni lectissima Filia Patris,  
 Carnequè velando Numine digna parens.  
 Siftitur in templo foetum jam Pneumate templum:  
 Prima placet trino (r) victima trima Deo.

(r) Ex Gen. 15. supra, in subdivisione primâ, victimas trimas, juxta S. Aug. esse symbola Trinit. diximus.

## SYMBOLUM 6.

*Virgini ante, in, post partum, tria annuntiantur simul: Conci-  
 pies, paries, vocabis, nomen JESUS.*

**A**nte Dei partum, sub partu, post quoquè partum  
 Es virgo, ac salvâ virginitate paris.  
 Quem Genitor numquam genitus, sine tempore gignit,  
 Quem sine Matre Pater, tu sine Patre paris.  
 Quem Triadis gignis virtute vocabis (a) JESUM,  
 Auspicio Triadis nomen & omen habet.

(a) Vide quæ de nomine Jesu dicta sunt supra, in subdivisione primâ Symbolo 46. Conci-  
 piens Virgo, pariens Virgo, Virgo perpetua. Talem fecit illam, qui factus est ex illâ. S. Aug.  
 de temp. Serm. 15.

## SYMBOLUM 7.

*Tria mira in partu Divæ Virginis.*

**E**cquis in immenso videat magis orbe stupendum?  
 Absque dolore, uteri pondere, Virgo parit.

Virgo,



Virgo, simulquè parens, expers pariendo doloris,  
Est tumidus venter (a) pondus amoris habet.

Materiam ternæ dabit admiratio laudis,

Hæc tria mira, potens est operata Trias.

(a) In Trinitatis mysterio Pater Filium producit, & max inter Patrem & Filium eximius ille & infinitus amor procedit. Sic ex productione verbi Incarnati (ut una summis comparemus) in corde Virg. Matris, excellentissimus amor filij in Matrem & Matris in Filium emanavit. Labata verbo Maria propof. 20.

### SYMBOLUM 8.

*Tria quæ observabat, priusquam operaretur vel loqueretur Diva Virgo. Videlicet utrum cederet ad Dei honorem, animæ salutem, proximi ædificationem.*

**S**ermonis quæ norma tui, quæ meta loquendi,

Hanc Regina poli, magna magistra, docet.

Divino sit fermo tuus conditus honore,

Verborumquè, salus, unicus esto scopus.

Facquè tuo certam, tibi proximus, ore salutem

Hauriat. Hoc trini fiat amore Dei.

### SYMBOLUM 9.

*Tria maxima Privilegia D. Virg.*

**N**ulla tibi labe, nec originis ipsius, oris,

Ullius aut operis, nullaquè (a) mentis inest.

Sol sine nube manes, quia Virgo sola futura;

Quæ simul illæ sâ Virginitate paris,

Ut Regi, sine matre poli, sine patre soliquè

Ubera, cælesti turgida lacte, dares.

(a) Id est cogitationis.

SYM-



## SYMBOLUM 10.

*Tres dies, quibus canunt Angeli assumptâ gloriosâ Virgine  
Mariâ in cælum.*

**F**ilius ad patrias, ut sol, remeaverat arces,  
Non potuit dudum luna micare solo.  
Non moritur, magis hæc oritur, reparatquè vigorem,  
Induit auratas clarior orta comas.  
En templo Triadis ternâ canit obvius æther  
Luce, Dei scandit Filia, Sponsa, Parens.

*O B. Patris Filia, Mater Filij, sponsa spiritus. SSS. Trinitatis templum & complemen-  
tum. Mater de Remedio. Esto miseris remedium. Sic voveo, sic oro.*

## SYMBOLUM 11.

*Tres causæ incarnationis Filij Dei  
Redemptio, Illuminatio & Exemplum. Ex S. Bern Epist. 190.*

**E**Rutus est Adam, lytrumquè exoluitur orco  
Quò stygijs vinclis abripiendus erat.  
Quàm densâ nostræ squallent caligine mentes!  
Qui tenebras pellat, luminis auctor adest.  
Erranti cæcoquè deest mihi ductor? J-ESUS  
Fit Dux ad Triadem, lux, via, Forma gregis.

SYM.



## SYMBOLUM 12.

Tres speciales civitates Christi

**N**Azaret o quavis meritò florentior urbe,  
 Concipere indutum corpore digna Deum.  
 Nec minus augustos Bethleem gerit inclyta fasces  
 Æterni partu condecorata Dei.  
 Capharnum stupet alma sui miracula civis,  
 Consilio Triados urbs benè lecta triplex.

## SYMBOLUM 13.

Tres natiuitates Christi

*Divina, humana, Spiritalis.*

[a] **Q**uod sine matre Pater gignit venerabile verbū,  
 Mater id absquè viri semine virgo parit.  
 Gignitur in castâ [quoties hoc noscit amatquè]  
 Æterni genitum, mente, parentis opus.  
 Prima Patri natum coniungit, & altera matri,  
 [b] Tertia me Triadi jungit amore, beat.

(a) Filius Dei generanti coæternus semper ex Patre, idem Filius hominis esse cœpit ex Virgine: ac sic & Filij Divinitati est addita humanitas, & tamen non est personarum facta quaternitas, sed permanet Trinitas S. Aug. de temp. serm. 19. alias tom. 10. fol. 131.

(b) Castitas mentis seu incorruptio facit esse proximum Deo Sap. 6. Et ut ait Naz. in carmine de Virg. prima Virgo, quam omnes casta mentes ac virgines imitantur est SS. Trinitas. Prima Trias Virgo est, siquidem Patre natus anarcho Filius est, nec enim pater ortum traxit ab ullo.

SYM-



## SYMBOLUM 14.

*In memoriam diætæ triplicis natiuitatis, nox quâ Christus natus, tribus Missis illustratur ex statuto Eccles.*

**N**Ox erat, at Phœbi longè fulgentior orbe,  
 Quâ nostro Verbum nascitur orbe Patris.  
 Nox quæ cœlituum micat illustrata phalange,  
 Quâ resonat cœlo gloria, paxquè solo.  
 Hac merito Triadi ternis altaria fumant  
 Thuribus, omnigenâ quæ veneranda tribu est.

## SYMBOLUM 15.

*Tres Pastores Christum natum venerantur in stabulo.*

**P**Astores adeunt monitis cœlestibus acti  
 Natum, qui proprio sanguine pascet oves.  
 Pastor is est mundi, qui candida pascitur inter  
 Lilia, quem niveo nectare mater alit.  
 Tres Verbum in stabulo venerantur ab æthere missum  
 Pastores; Triadi quàm placet ista trias!

*Nota. Locus Natiuitatis Christi, magnificentissimâ Basilicâ, euerfo Adonide, a S. Helenâ est exornatus; & tot ornamentis a Constantino condecoratus, ut mundi miraculum esset.*

## SYMBOLUM 16.

*Tres in stabulo Bethlemitico inveniuntur*

*JESUS, MARIA, JOSEPH.*

**P**Astores tres ad triadem venêre colendam,  
 Quam dederat terris, quæ rotat astra, Trias.



Poplite curvato Matrem inter, & inter Joseph  
Pastorum est pietas ter venerata Deum.

O Bethleem felix! in cœlum [a] verteris, in te  
Æmula cœlesti cernitur ecce trias.

(a) S. Bern. serm. 1. vig. Nat.

alleg. Bethleem est templum, præsepe altare, Christus hostia, panni & fasciæ  
corporale, Deipara sacerdos, Joseph & pastores Christiani astantes.

SYMBOLUM 17.

*Tres iidem fugiunt in Ægyptum*

**N**on fugit Herodis Jesus formidine, verum  
Motus honore Patris, tactus amore mei.

Mox ubi Niliacas Regum Rex attigit oras,

Falsorum pulsa est impia turba Deum.

Hæc humana trias divinæ instaurat honores,

Nos decet & falsis vertere terga Deis.

SYMBOLUM 18.

*Trium Magorum tria munera. Matth. 2.*

**R**egia majestas Æois excita terris

(a) Ter gemino Triadis munere signa refert.

Supremus Genitor fulvo præfulget in auro,

Est incarnato debita myrrha Deo.

Ignibus injectum gratos thus fundit odores,

Hujus odore fragrat Flamen, amore flagrat.

[a] Sic quasi trium munerum Trinitatis perfecta confessio, credatur a nobis una Divinitas sine confusionis separatione distincta, Pater & Filius & Spiritus S. unus Deus: credantur tres persona, sed non tres substantia. Quantum autem ad cœlestis nature ordinem pertinet, in Patre & Filio, & Spiritu sancto ita consistenda est una divinitas, ut nec singularis putetur in Trinitate persona, nec triplex in Unitate substantia, sed ita asfignetur pluralitas Unitati, ne Trinitati subtrahatur aequalitas. S. Aug. serm. 39. de temp. alias tom. 10. fol. 135.



## SYMBOLUM 19.

Tria miracula sub epiphaniæ tempus

*Ex Aug. loc. cit.*

**U**T spendor Patris, nostro velatus amictu,  
Illuxit, pariter symbola terna micant.

Prævia stella viam radianti lumine pandit;

(a) Mutat aquam vino; consecrat Agnus aquas.

Hæc tria mira patrat nosci dum cœpit ab ortu,

(b) Qui Patris ad dextram, fixit in arce locum.

*(a) Hoc miraculo D. Hil. de Trin. lib. 3. in initio ad similitudinem & explicationem Divinae generationis utitur (b) putant aliqui illud Psal. Dixit Dominus: Domino meo, sede a dextris meis, ita explicari posse. Quod Filius ad dexteram, id est, in equali gloria ac majestate sit. Quam equalitatem semper habuit filius ratione divinae nature, sed ad eam elevatus est ratione humane nature, post humilitatem ad mortem Crucis. Vide Bellar. in Psal. 109.*

## SYMBOLUM 20.

*Christus positus in ruinam, resurrectionem & in signum. Luc. 2.*

**N**ON dubium est orbi Christum peperisse salutem;  
Quo pacto facta est ipsa ruina salus?

(a) Ut potius culpæ lapsu graviore resurgant,

(b) Te medicam miseris dico tulisse manum.

Ponitur in signum quò vibrant tela maligni,

Ast Trias est regnum, quò tua vota feras.

*(a) Greg. Nazian. (b) juxta illud: percutiam & ego sanabo. Deut. 32.*

SYM-



## SYMBOLUM 21.

*Tertio die nuptiæ factæ sunt in Canâ Galilææ. Ioan. 2. apud  
S. Aug.*

**T**ertia lux aderat nuptiæ clarissima tædis,  
Clarescit Triadis, sed magis illa face.  
Est aqua divinos in vini versa liquores,  
Quo genitor Natum comprobat esse Deum.  
Convivæ ut reliqui venit ad sponsalia Jesus;  
En sumptis hominem se probat esse cibus.

*Not. Moraliter ex S. Bern. in Sent. tres species nuptiarum. Prima est reconcilia-  
tionis per fidem. Secunda adoptionis per Spem. Tertia glorificationis perfecte  
per charitatem, quæ est perennis SSS. Triadis visio.*

## SYMB. 22. de eodem,

*Et metretis ternis.*

**B**is ternas memorant hydrias præconia Christi,  
Tres quoque metretas hydria quæque capit.  
Ne dubites inter-Triadem sponsalibus-esse  
(a) Inde metretarum mentio facta trium.  
Testis adest oculata fides, metamorphosin istam  
Acceptam Triadi terna metreta docet.

*(a) Capiebant singula metretas binas vel ternas, quia scriptura sancta, auctores & mi-  
nistri propheta, modo de Patre tantum loquuntur & Filio, ut est illud: omnia in sapien-  
tiâ fecisti: virtus enim Dei & sapientia Christus est. Modò etiam Spiritus S. faciunt men-  
tionem, juxta illud ejusdem Psalmographi: verbo Domini cali firmati sunt, & Spiritu  
eris ejus omnis virtus eorum. Verbum, Dominum, & Spiritum, totam, quæ unus Deus  
est, intellige Trinitatem. Ven. Bed. com. in Joan. 2.*

SYM-



## SYMBOLUM 23.

*Christus triduo quæsitus, inter Doctores reperitur Luc. 2. ex S.  
Aug.*

**A**D Solymas ædes venerandi Numinis ergò  
Virgineam matrem legis adegit amor.  
Amissum lugere monet pia cura puellum,  
Quàm dolor hunc potius quætere fecit a mor.  
Et benè ter geminâ Sapiencia luce reperta est:  
In medio Triadis nam (a) sedet illa throno.

*(a) Adest Deo, genita ante secula sapientia, dicit Hil.*

## SYMB. 24. de eodem.

**D**OCTORUM in medio latitans sapientia sedit,  
Majoris puero verba loquentis erant.  
Bis senos numerans Matri subducitur annos,  
(a) Suadebant Matrem linquere iussa Patris.  
Obtineant semper Triadis commercia primas,  
Post-habita (b) patris, matris, avique domo.

*(a) Christus mansit in suis parentibus in templo, ut alium in celis habere se Patrem factum ostenderet. Ex Ven. Beda. (b) Luc. 14.*

## SYMBOLUM 25.

*Christus proficiebat sapientiâ, ætate, gratiâ. Luc. 2.*

**P**ROGRESSUS ætatis habet, quâ tempore natus;  
Fine, Patris Verbum, principioquè caret. (a)  
Infinita nequit sapientia crescere Verbi,  
Incrementa (b) homini fas dare, nulla Deo.

Gratia.



Gratia quâ plenus capit incrementa, velut lux  
Solis ab ascensu plus radiare solet.

(a) *purâ atatis* (b) *Id Beda intelligit sic; quod specimen dederit.*

N. Quia filius a Patre procedit per modum intellectus, propterea quæ pertinent ad intellectum, ipsi appropriantur indivinis, ut verbum, sapientia, veritas.

SYMBOLUM 26.

*Tribus annis, Christus triginta annorum, prædicat.*

**T**res Patris æterni tenet alta silentia Verbum  
Annorum decades: grandius urget opus.  
Plus exempla sciens, quàm quævis verba, movere,  
Ante-docenda facit-quàm facienda docet.  
Ut fato vicinus olor sua cantica promit,  
Laxat & in laudes Filius ora Patris.

SYMBOLUM 27.

*Triplex fructus seminis. Luc. 8.*

**Q**uò magis assiduo, duroquè animata labore,  
Majores fructus terra subacta feret.  
Altera centenos, sex denos altera fructus,  
Ter denos etiam, si minùs apta, feret.  
Divæ mens Monadis Triadisquè exercita cultu,  
Millenos fructus hac pietate leget.

N. *Fructus in tricesimo nomen Verbum proferet, quod fidem & Trinitatem ædificat. Sexagesimum quod operis perfectionem docet. Centesimum quod ad dexteram regni prædicat vitam æternam, Beda in hunc locum.*

SYM-



## SYMBOLUM 18.

*Testimonium Trium Matth. 18. Deut. 19. & 17. In ore duorum vel trium testium stet omne verbum.*

**I**psa fides bino nonnumquam teste vacillat,  
 (a) Exemplum faciat sub Daniele fidem.  
 Judicium subiit dum casta Susanna duorum,  
 Quos tulerant ætas impieta squè pares.  
 In fontem Daniel laxat, monstratquè supremæ  
 In Triadis firmam Numine stare fidem.

*S. Aug: ad illud Matth: 18. in ore duorum vel trium stet: &c. per hoc mysterium Trinitas commendata est; in qua est perpetua stabilitas veritatis; vis habere bonam causam? habeto hos testes; Patrem, & Filium, & Spiritum. S.*

(a) Dan. 13. N. Quomodo accipiendum est in ore duorum vel trium stabit omne verbum? nisi quia hoc modo per mysterium Trinitas commendata est, in quâ perpetua stabilitas veritatis est. Si vis habere bonam causam habeto tres testes, Patrem & Filium & Spiritum S. Deniquè quando Susanna casta femina fidelisquè conjux duobus falsis testibus arguebatur Trinitas illi in occulto suffragabatur. Illi Trinitas de occulto unum testem Danielem excitavit, & duos convicit, Ven. Beda in Joann. 8.

## SYMBOLUM 29.

*Tres panes Luc 10. apud Bed. in Job 1. & alibi.*

**F**orsitan esurie venter vacat, oraque pallent,  
 Quove premas ventris murmura, panis abest.  
 Nocte fores in tempesta pulsabis amici:  
 Uti consilio te meliore velim.

Tres



Tres petis an panes? quæ sursum quærito, pulsa

(a) Æternæ Triadis nocte diequæ fores.

(a) Amicus ergo ad quem mediâ nocte venit, ipse Deus intelligitur. Cui in mediâ tribu-  
tione supplicare, & tres panes, id est, intelligentiam Trinitatis, quâ presentis vitæ conso-  
lentur labores, efflagitare debemus Ven. Beda in Luc. 10.

S. Aug: de tribus panibus Luc. 11. Cum perveneris ad tres panes; hoc est,  
ad cibum & intelligentiam Trinitatis; habes & unde vivas & unde pascas; ne  
timeas, ne falias; non enim ille panis finietur, sed indigentiam tuam finiet.

### SYMBOLUM 30.

*Triplices eunuchi. Matt. 19.*

**N**Ascuntur, fiunt eunuchi: suntq; videntes,  
Qui tua non norunt vulnera fæde puer.  
Istius haud omnes verbi capiuntur amore,  
Sed quem flamma capit Flaminis, ille capit.  
En stimulans adserta Trias (a) promissa labori,  
Nulla parata polo, sint nisi parata solo.

[a] Duo sunt genera eunuchorum carnalia, tertium spirituale cui præmium promittitur, eò  
quod propter Deum, cum possent esse viri, sunt eunuchi: ceteris, quibus castimonia neces-  
sitas est, non voluntas, nihil omnino debetur, Ven. Beda in hunc locum.

### SYMBOLUM 31.

*Tres excusatores a nuptijs. Luc 14.*

**Q**Uos invitatos jam cœna parata moratur,  
Reppulit invitos ob tria (a) vana Trias.  
Hic villam, juga quinque bouum prætenderat alter,  
Tertius obstricti jus sociale thori.

Huc



Huc igitur miseri, coeci, claudique venite  
Ad Triadem; maneat turba vocata foris.

[a] Tria ista sunt vitia 1. Joann. 2. qua sunt tres furia mundum direxantes. Prima, id est, superbia debetur lapsus angelorum. Secunda, id est, luxuria, diluvium, Gen. 6. omnis enim caro corruerat viam suam. Tertia, id est, avaritia, orbis interitus, cum spina suffocatrices comburentur. Ita quidam vir doctus.

## SYMBOLUM 32.

*Ecce jam triduo sustinent me. Marc. 8. apud S. Aug.*

**T**urma premit Christum patriâque, domoque relictis,  
Deserti esuriens interiora petit.  
Mentis amans epulas sic pendet ab ore docentis,  
Vix opis esuriens, vix sitiensque memor.  
Distulit in ternam Jesus alimenta dietam,  
Cuncta facit Triadis nomine, cuncta docet.

## SYMBOLUM 33.

*Tria exigit imitatio Christi.*

*Abneget semetipsum, tollat Crucem, sequatur me. Luc. 9.*

**Q**ui-me-a-cumque sequi statuit vestigia, vitæ  
Estque meæ in terris asperioris amans.  
Intuitu Patris qui condidit omnia, Natum  
Omnibus exutum me comitetur inops.  
Haud grave sit sufferre crucem, parere vocanti,  
Dat facilem sacri Flaminis aura viam.

SYM-



## SYMBOLUM 34.

Tria præmia Christum diligentis

*Pater diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum  
faciemus. Ioan. 14.*

**Q**uisquis amore mei feruentiùs ardet, amorem  
Huic Pater æternus reddet amore mei.  
Illius in gremio sedem figemus, & ædem,  
Pneuma sacrum, Natus, concomitansquè Pater.  
Hospitio Triadem si mens exceperit hospes;  
Sospes es, in terris aula vocanda Dei.

## SYMBOLUM 35.

*Si in tertiâ vigiliâ venerit. Luc. 12.*

**A**dmonet in vigili Christus statione manendum,  
Adfore nocturni furis ad instar, ait.  
Tertia quæ surgit bis senâ noctis ab horâ,  
Præ reliquis meritò commemoranda fuit.  
Hac horâ ad Triadem forsan sistêris, erisque  
Dum minimè reris, Judicis ante fores.

*Tres vigiliæ sunt tres hominis ætates, puta pueritia, Juuentus, senectus.*

## SYMBOLUM 36.

*Ego sum Via, Veritas, & Vita. Ioan. 14. apud S. Aug.*

(a) **S**um via quâ vobis sit eundum, quave, præibo,  
Expers erroris, qui comes ibit, erit.

O

Ductor



(72)

Ductor ego & Doctor, vestigia nostra sequentem

Ad vitæ & veræ duco salutis iter.

Doctrinâ, exemplis, omnes virtute præivi,

Sum via sola, viæ terminus, (a) ipsa Trias.

*(a) Nemo venit ad Patrem nisi per me. Joan. 14. (b) Hæc est autem vita æterna, ut te Patrem, & quem misisti Jesum Christum, cognoscant solum verum Deum. Consequenter enim & Spiritus S. intelligitur, quia Spiritus est Patris & Filij tamquam charitas substantialis & consubstantialis amborum. Ven. Bedæ Joan. 17.*

SYMBOLUM 37.

*Christus tres nominatim mortuos suscitavit.*

**C**Hriste salus hominum, cui subsunt omnia, morem  
(a) Imperio cuius mors, phlegeton quæ gerit.

(b) Filia Jairi surgit, (c) Naimitidis hæres

Unicus, & (d) prodis Lazare chare foras.

Mille Deus dirâ vivos a morte reduxit,

In Triadis laudem (e) tres memorare placet.

*(a) Christo tam facile fuit a morte, quam a somno excitare & ideo dicit de Lazaro: amicus noster dormit. (b) Matth. 9. (c) Luc. 7. (d) Joan. 11 (e) Per tres mortuos, intelligit Bedæ, tres mortes anime.*

SYMBOLUM 38.

*Christus ter lacrymatus est.*

**H**Aud risisse lego sub carnis imagine Christum,  
Fudisse at lacrymas, ter memorare queam.

(a) Excidium flevit Solymæ, (b) tua Lazare quondam

Asperit lacrymis tristia busta suis.

Sed



Sed Crucis in ligno lacrymas cum sanguine fudit,  
 Quò faceret, mundo pro pereunte, fatis.

(a) Luc. 13. (b) Joan. 11.

SYMBOLUM 39.

*Tentator Christi tres lapides petit in panes converti, per quos intellige tres panes gratiæ.*

**E**Xime tres animo lapides (an vulnera dicam?)  
 Quos precor in panes vertito, Trina Monas.  
 Naturæ fragili, Patris adde potentia vires,  
 A Verbo, sanæ postulo mentis opem.  
 Spiritus adde faces, torpore jacemus inertis,  
 Inquè tui noster quantus amore tepor!

N. Expendit secum Chryf. cur Christus sibi in deserto esurienti non fecerit panes, sicut Marc. 8. alijs esurientibus fecit? & respondet: Christus sibi homo, mihi Deus. Id est sibi debilis, egens &c. mihi omnipotens, dives &c.

SYMBOLUM 40.

*Triplex tentatio Christi in deserto.*

**I**Ncassum aggredieris cunctis alimenta creantem,  
 Delicium est cœli, non eget ille cibo.  
 Regna quid ostentas Regi, qui condidit orbem,  
 Subijcit & regnum legibus omne suis?  
 Numen adorandum Triadis tentator adora,  
 Competit hûic Monadi, gloria, cultus, honor.

SYMBOLUM 41.

*Christus post tertium prædicationis annum moritur.*

**A**Nnis ter-statuit servare silentia-denis  
 Æterni Verbum linguaquè sancta Patris.



In Triadis tandem laxantur guttura laudes,  
 Divini verbi semen ab ore fluit.  
 Flex-animo mentes ad se Deus ore trahebat,  
 In Crucis orator stipite major erat.

## SYMBOLUM 42.

*Solvite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud. Ioan. 2.  
 apud S. Aug.*

**S**I lubet, hanc molem Solymi dissolvite templi,  
 Me penes est terno fas reparare die.  
 Si lubet hos potius diffringere corporis artus  
 Restituam terno (vis mihi tanta) die.  
 Solvite nunc & fræna sacro laxate furori,  
 Tertia mox Triadis lux reparabit ope.

N. S. Ephrem, lib. de pœnit. ad illud Ioan. c. 2. solvite templum hoc & in tribus diebus & sic ait poterant in momento & in ictu oculi omnia fieri; sed ob mysterium Trinitatis intra triduum, hostem gratia ligavit, non quod impotens esset circa eos. (Nimirum tres dies) agere quæ oportebat, sed ut mysterium Divinitatis ostenderetur.

## SYMBOLUM 43.

*Triplex oratio Christi in passione.*

**C**Hriste sub horrendi memoraris tempora fati  
 Plus solito ardentem ter geminasse preces.

(a) Terna fluunt in nos bona per tua vulnera **J E S U**  
 Hæc rivi, pelagus tu pietatis habes.

Culpa remissa perit, reparatur gratia, tequè,  
 Gloria per Triadem, sollicitante, datur.

(a) Ternarius numerus veritatis demonstrativus & confirmativus est, dicit Theophi. de oratione Christi in Matt. 26. Et Hugo: Christus in passione tertio oravit ad tria impetranda, scilicet culpa remissionem, gratia collationem, & gloriæ adeptionem.

[SYM-



## SYMBOLUM 44.

*Christus tertio dixit volentibus se capere: Ego sum. Ioan. 18.*

**I**lla tenebrarum rectoris fluxerat hora,  
 Quâ rapidis insons captus es agne lupis.  
 Ter-geminans (a) ego sum majus tibi Numen inesse,  
 Dictio ter-geminis prodit utrimquè notis.  
 Nam trepidans hac voce phalanx armata furore  
 Jæta velut rapido fulmine, strata solo est.

(a) Tres litteræ in unâ Syllabâ. Nota. In templis Ægyptiorum illud emblemata de Deo fuisse inscriptum refert Eugub. Ego sum; quod fuit, quod est, quodquè futurum est. Velum meum nemo unquam revelavit. Et S. Dion. de divinis nominibus cap. 5. docet Deum vocari ens, vel esse potius quàm quilibet aliud. Sicut e contra proprium nomen creaturarum est non ens vel non esse, quia qualibet res creata plus habet non entis quàm entis ait Plato in Thæsteto. Et I. Lip: in sua Epigraphe.

Humana cuncta fumus, umbra, vanitas,  
 Et scenæ imago, verbo ut absolvam, Nihil.

## SYMBOLUM 45.

*Ter Gallus cantat, ter Petrus negat.*

**P**etre spondidisti, Domino comes ibo per ignes,  
 Carceris ad duri vincula, ad usque necem.  
 Præsciis at rerum Dominus: me ter Petre ternâ  
 Auditâ Galli voce negabis, ait.  
 Petra dedit lacrymas ut quondam vimine tacta;  
 (a) Lumina sunt Domini flumina Petre tua.

(a) Mortuus est negando quia superbè præsumpsit, revixit, quia benignè Christus respexit.  
 Ex Ven. Bedæ.

SYM-



## SYMBOLUM 46.

*Tribus rebus offendit, iisdemquè Christum placat Maria Magdalena, scilicet osculis, oculis, capillis.*

**O**scula dat, fundit lacrymas, funditque capillos,  
Sub pede flens agni ceu lupa capta jacet.  
Ipsa capillorum laqueo se vinxerat; Agnum  
Victorem vincit Magdala victa suum.

(a) Funiculis Adam traxit tribus Agnus amantem,  
Redditur & Trino victima grata Deo.

(a) *Funiculis Adam, id est charitatis.*

*N. Maria etiam tertio adhibuit unguenta circa corpus Jesu. vid. Luc. 7. Joan. 12. & Marc. 16. ideoquè Sacerdos etiam circum-ducit incensum in oblatione Sacrif. Missæ ex Inn. 3. lib. 11. myst. missæ cap. 57.*

## SYMBOLUM 47.

*Tres Christi Indices. Caiphas, Herodes, Pilatus.*

**R**ex ter adorandus, cælo terrâquè tremendus,  
Ad triplicis rapitur Judicis ora reus.  
Agnelli sitiunt, tygresquè lupiquè cruorem,  
Mille polis cujus gutta vel una valet.  
Infringunt alapas, sannas rex impius infert,  
Pilatus spinas, dira flagella, necem.

## SYMBOLUM 48.

*Ter Christum Pilatus defendit. Luc. 23.*

**P**ontius infontem ne perderet hostis J-E-S-U-M,  
Patronum, Judex ter miseratus, agit:

Baccha-



(77)

Bacchatur, frendet, sitiens fera turba cruoris,  
Terquè pari contra Marte Pilatus agit.  
Si constans Ponti Crucis hac in lite fuisses,  
Danda foret luctis, par tibi palma, tribus.

SYMBOLUM 49.

*Christus jussu Pilati nudatur, ligatur, flagellatur.*

**Q**ui cœlos stellis, terram qui floribus ornas,  
Lumine qui vestis sidera, veste cares.  
Vincula qui laxas, confectos vulnere sanas,  
Nudus, & obvinctus, vulnere fœdus ades.  
Hęc nostri tria curat amor: mea vulnera sanat,  
Vincula dissolvit, vestit honore Trias.

SYMBOLUM 50.

*Christus inter duos latrones medius.*

**S**ummus & æterno Patri par natus ab ævo  
In medio pecudum nascitur imus homo.  
Latronum in medio tandem denascitur insons,  
Et moritur, vitam vita datura reis.  
Judicium Triadis medio pietasquè refulget,  
Dum Triadem perdit latro, sed alter habet.

SYMBOLUM 51.

*Tres linguæ principes in Cruce.*

**I**n varias unam turris Babylonica linguam  
Dissecat, in Triadis tres (a) decus, orbis habet.

Plebs



(67)

Plebs Hebræa suam Crucifixi in stipite legit,  
Græca suam vidit, gensquè latina suam.  
Una Deo laudes Hebræa recensuit Uni,  
Nunc Triadi linguis gloria danda tribus.

N. quòd hoc nomen puta JESUS Nazarenus &c. hebraicè, græcè, latinè scriptum erat, hoc est quod Apost. dicit: omnis lingua confiteatur, quia JESUS Christus in gloriâ est Dei Patris. Beda in Luc. 23. (a) hæ tres lingue præ cæteris eminebant. Hebræa propter Judæos in lege gloriantes, græca propter gentium sapientes, latina propter Romanos omnibus parè gentibus tunc imperantes velint nolint ergo Judæi, JESUS Rex Judæorum est, hoc est, imperator credentium & consentientium Deum.

SYMBOLUM 52.

Tres tituli in Cruce  
JESUS, Nazarenus, Rex

**R**egalis titulus Jesu tibi convenit iste,  
Debetur probris gloria tanta tuis.  
Ista triumphalem signant cognomina pompam,  
Quæquè trophæa Deus de Phlegetonte tulit,  
Unde tibi Judex titulus? Trias auctor ab alto  
Direxit calamum credo Pilate tuum.

SYMBOLUM 53. de eodem

**V**ix jam virgineâ felix hic furculus alvo  
Prodierat, Bethleem gaudia prima videt.  
Nazareth hunc ortum Jessæo germine florem,  
Maturus fructus urbs solymæa capit.

Nem



(79)

Nempè Crucis ligno pendens velut (a) arbore fructus,  
Elysijs pulsos reddidit ille locis.

(a) *Sub arbore malo suscitavi te Cant. 8. Quod nonnulli de Malo granato interpretantur, cui Crux Christi comparatur. Est enim malum-granatum symbolum charitatis.*

SYMBOLUM 54

*Christus tribus horis vivus in Cruce pendet.*

**F**ixus in horrendo Christus dum stipite pendet,  
Cur tribus est mortis lucta ferenda moris?  
An quia ter geminos ter denis addidit annos?  
Fors horis totidem vita trahenda fuit?  
Vitæ principium Triadi, mediumquè sacrantur,  
Horarum numero mors celebranda pari.

SYMBOLUM 55.

*Tria in Christo Crucifixo spirant amorem. Caput inclinatum,  
brachia extensa, latus apertum.*

**O**sculafixus amor flexis cervicibus ambit,  
Amplexusquè tuos brachia tensa petunt.  
Quò fugias peccator habes securus asylum;  
Cuspide transfixum cor morientis hiat.  
In Cruce ter-geminum quidni spiraret amorem?  
Spiritus, a Nato cum Patre manat Amor.

SYMBOLUM 56.

*Tres Mariæ in monte Calvariaæ flentes*

**T**riste Mariamar e est, non sufficit una, Mariæ  
Tres plangunt, fiat Cruxquòd amara nimis.

P

Mens



Mens tua merfa jacet velut undis obruta J E S U,  
 Tempeftas artus merferat alta tuos.  
 Verbaquè deficiunt Verbo, vox faucibus hæret:  
 Placasti Triadem voce, Cruore, Cruce.

## SYMBOLUM 57.

*Tribus horis tenebræ factæ sunt sub mortem Christi.*

**G**rande tenebrarum lucem chaos abstulit orbi,  
 Sol it ad occasum, luminis auctor obit.  
 Lumina tunc mundi ceu lurida, squallida luctu  
 Plangebant Dominum veste decente suum.  
 Machina trina tremit, tribus horis obstupet, horret  
 Criminis expertem morte perire Deum.

## SYMBOLUM 58.

*Tria mira in eclipfi sub mortem Christi.*

1. Plenilunium, quo non potest naturaliter sol eclipfari. 2.  
 Quòd luna ab oriente solem subintraret cùm hoc fieri debent  
 ab occidente. 3. Quòd eadẽ viã rediret relinquens reiectam  
 illam solis partem quam ultimo texerat, cùm deberet opposi-  
 tum fieri. C. Ians. in Evang.

**L**Una Creatoris fato lugubris, ab ortu  
 Se(mirum)fratri subdit amara foror.  
 Ecce die medio plenis volat integra velis,  
 Transversoquè subit tramite solis iter.  
 Sic offuscato tribus horis sole, recessit,  
 Nempè parentarat filia mæsta patri.

SYM-



## SYMBOLUM 59.

*Christus tribus diebus in sepulchro.*

(a) **H**Oste triumphato plutonia regna tremendus  
 Ingreditur, vinctos laxet ut inde patres.

Cerberus horrescens triplici prius ore timendus,

Cogitur æterno subdere colla iugo.

Tertia lux oritur, procerum stipante caterva

Christus ovat, patres restituitquè Patri.

(a) id est morte, fort. ori morte, devictâ ut ait Isid. Pelus. lib. 2. Epist. 112.

N. Prima dies passio Salvatoris est. Secunda quâ descendit ad infernum. Tertia autem resurrectionis dies est. Tres etiam dies non incongruè possumus dicere Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. Et hi tres unus dies. Ita S. Aug. serm. 90. de temp. aliàs tom. 10. fol. 192. Alij intelligunt per tres dies. 1. quo Filius ab æterno a Patre genitus. 2. quo in tempore natus. 3. quo e sepulchro resurrexit: sic enim explicant triduum quo Jonas in ventre ceti.

## SYMBOLUM 60.

*Christus a resurrectione apparet tribus mulieribus habentibus tres pixides.*

**T**Res abeunt matres (a) stimulo pietatis, opisquè,  
 Intrepidè tumulum, nocte silente, petunt.

Perfusæ lacrymis veterem testantur amorem,

Nec tenebræ, faxi nec remoratur onus.

Omnia vincit amor, se Christus amantibus offert,

Symbola dum Triadis tres, tria vasa gerunt.

(a) Per tres mulieres intellige; quòd mente, linguâ, manu Caritas sit exercenda. Vide Bernardum de resurr. Dom. Serm. 2.



## SYMBOLUM 61.

*Christus redivivus ter pacem discipulis precatur.*

**V**ictor Christe redux & debellator averni,  
Nuntius optatæ pacis & auctor ades.  
Nempè triplex pax est; hostis victoria triplex;  
Quæ nimium diro funere parta tuo.

(a) Internam pacem des, (b) externamquè precamur,  
(c) Æternâ o Tri-monas da quoque pace frui.

*(a) Id est pax hominis apud se, vel quieta conscientia. (b) Pax hominum inter se (c) pax hominis cum Deo, vel pax Christi quæ finem temporis non habet, ipsa est enim omnis actionis nostræ perfectio. Propter hanc credimus, & speramus, & ejus amore, quantum donat, accendimur; propter hanc omnem tribulationem fortiter toleramus, ut in eâ feliciter sine tribulatione regnemus. Vera pax unitatem facit, quoniam qui adheret Deo, unus Spiritus est. S. Aug. sent. 369. & alibi: quoniam qui in eâ non fuerit, puta pace, abdicatur a Patre, exheredatur a Filio, nihilominus alienus efficitur a Spiritu Sancto. Serm. 57. de verbis Dom.*

## SYMBOLUM 62.

*Christus ter dicit Petro: Simon Ioannis diligis me? Ioan. 21.*

**C**ommissurus oves Petro Saluator, & agnos,  
Quos ad cælorum pascua pastor agat,

(a) Ter percunctatur; quia trina negatio Petrum:  
Fecerat admissi criminis antè reum.

Pastor amore flagret, reliquis inspiret amorem,  
Si cupit ad Triados ducere prata gregem.

*(a) Redditur negationi trina, trina confessio, ne minus: amoris lingua serviat, quàm timori, & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quàm vita præsens. Sic amoris officium pascere dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare pastorem Beda. Et alibi: sive ut B. Amb. tertio repetita figura operationem Trinitatis expressit. Et ideo in mysterijs trina interrogatio defertur, & confirmatio trina celebratur, nec potest quis nisi trina confessione*

*piur-*



*purgari. Uide & ipse Petrus tertio interrogatur utrum diligat Dominum, ut tria re-  
sponſione vincula, que Dominum negando ligavit, abſolveret. Ita in Act. Apoſt. cap. 10.*

## SYMBOLUM 63.

*Tres e terris aſſumpti, ſub mari ſi ſinem reuerſuri.*

(a) **E**lias rapitur curru, tranſfertur & Enoch;  
Chriſtus in empyreos ſe levat ipſe polos.

Judicis adventum, mundi fatale præbunt  
Excidium, ac rapidas, per maris alta, faces.

O Trias! Exactum ſiſtemur ut ante tribunal

Ne referam culpis debita jura meis.

(a) *Elias raptus, Enoch tranſlatus, Dominus noſter J E S U S Chriſtus ſe ſeiſo levat. S. Bern.*

Nota. In fine mundi redibunt Enoch & Elias ut Anti-Chriſto ſe opponant  
per conciones, &c. martyrio Jerofolymis afficientur, corporaq; inſepulta ja-  
cebunt, ſed poſt tres dies reſurgent & ſpectante populo ad cœlum aſcendent.  
S. Aug. lib. 20. civit. cap. 29. & paſſi n comment: in Gen. 5. & Apoc. 11.

## SYMBOLUM 64.

*Spiritus S. hora diei tert iâ mittitur.*

**S**emper amant caſtæ quia candida teſta columbæ,  
Candida divinus corda Columbus amat.

Habitur æthereis ternâ qui ſedibus horâ,

Ob meritum Nati, Patris ab arce venit.

Pacis oliva venit, divini nexus amoris,

Ad Triadis, mentes, gaudia, flamen (a) agit.

(a) *Idem Spiritus S. qui Jois. 2. in baptiſmo Chriſti ſub ſpecie candida columbe, animas  
purificans apparuit. ipſo die Pentecoſtes ſub ſpecie venti vehementis, ad bonum impellens,  
& linguarum ignitarum amore ſui corda inflammans in Apoſtolos delapſus eſt.*

SYM



## SYMBOLUM 65.

*Tria millia, quæ S. Petrus convertit. Act. 2. & tres actus pietatis, quibus conservat.*

**Q**uæ lucratus erat Triadi (a) tria millia Princeps  
 Petrus, in officio per tria fræna, tenet.  
 Pavit Apostolico Pastor sermone fideles,  
 Jugiter & vivo pane refecit oves.  
 Ad lamenta precesquæ monet, crimenquæ piare  
 Consultit, & Trino thura sacrare Deo.

(a) Ubi primum Ecclesie celebratum est baptisma, dispensatorie pietas divina ad confessionem S. Trinit. parcm numerum collegit animarum. Eccl. in Act. Apost. cap. 2.

## SYMBOLUM 66.

*Saulus triduo non videt, nec manducat, nec bibit. Act. 9. apud S. Aug.*

**S**Aule minas, dirasquæ neces, & fulmina spiras,  
 Ac toto, incassum toxica, corde, vomis.  
 Continuo sternendus humi es, caligine merso  
 Trina tibi sitis est, trina ferenda fames.  
 Sis leo, terna fames cicuratquæ, domatquæ leones,  
 Sis Lupus, aut Agnum te facit alma Trias.

## SYMBOLUM 67.

*Ter dictum Petro: macta & manduca. Act. 10.*

**T**Rina Monas celso dimisit ab æthere faccum,  
 Immundi pecoris qui grege plenus erat.  
 (a) Ter Deus ingeminat, posito discrimine tolle,  
 Macte animo macta, cæde, ede Petre, feras.

Hæc



Hæc, priùs immundas, signant animalia, gentes,  
Purgatæ Triadis fonte, piamen habent.

(a) Hoc factum est ter, quia per quatuor partes orbis terrarum, mysterium S. Trinit. a  
12. Apostolis prædicandum erat. Beda. Et iterum: animalia illa, omnes gentes sunt,  
erroribus immunda, sed trinâ submersione, id est, mysterio Trinitatis in baptismo mun-  
data qua hominis imaginem referentes bestiarum & Serpentium sumpserunt figuræ.

SYMBOLUM 68.

S. Paulus ter virgis cæditur, semel lapidatur, ter ingeminat  
nomen Iesu dum moritur (ut quidam referunt).

**G**Rando semel lapidum petijt te terquè flagella,  
Quæ Monadi & Triadi grata fuisse putem.

Si te Romanum dixisses Paule politem,

Cedere te virgis aula nec aufa foret.

Nomine dum Triados tandem caput obijcis ensi,

Ter JESUM moriens ingeminasse ferunt. (a)

(a) Ad hæc in morte Pauli tres milites apparitores convertuntur puta Longinus, Ace-  
stus, Megistus. Item caput Pauli resectum, tres quasi saltus in terrâ dedit, & quoli-  
bet saltu fontem elicit. Unum lactei, alios alterius saporis. Unde hic locus celeberrim-  
us Romæ trium fontium, peregrinorum concursu visitur, ut mihi relatum est.

SYMBOLUM 69.

S. Paulus ad tertium Cælum rapitur, quod S. Aug. epist. 112.  
cap. 3. Tom. 2. cum Anselmo, D. Tho. 2. 2. q. 175. art. 5.  
intelligunt de loco Beatorum, ubi divinam essentiam vidisset  
ut putatur.

**P**Aule Dei fidos paulò rapis antè clientes,  
Infantis populi qui populat or eras.

Ad ternum (Triadis forsân) raptaris olympum,

Aërium supra si dereumquè polum.

Ster-



Sterneris, erigeris, factus modò cæcus, in alto  
Empyreoquè vides quanta stupenda polo?

Nota. Juxta Bern. tres cali sunt tres Personæ S. Trinitatis. Item tres virtutes & dotes, quibus ad eas, & ad gratiæ, ac gloriæ culmen ascendimus, scilicet humilitas, charitas, & perfecta unio. Nam inquit, quos verbo & exemplo prius Filius humiliaverit, super quos deinde Spiritus S. charitatem effudit, hos tandem in gloriâ Pater recipit. &c. Et post pauca: putasne hos gradus Paulus non transierit qui ad tertium cælum raptus?

SYMB. 70. de eodem.

**D**ignus ad alta rari Divûm subsellia Paulus,  
Tergeminos scribit se penetrasse polos,  
Quæ videt in primo, forsân, cæloquè secundo  
Oblectent animum, non tamen illa beant.  
Astronomi certent de pluribus ordine cælis,  
Ardet inesse polo mens, ubi visa Trias.

SYMBOLUM 71.

*S. Paulus Ephesi loquebatur per tres menses. Act. 19.*

**T**res Ephesi menses turbas instando docebat,  
Quas facris, Triados nomine, tingat aquis.  
Pars credit, durâ pars altera fronte resistit,  
Pars sequitur Belial, pars sequiturquè Deum.  
Quas reprobis, bone Pastor, oves divellis ab hædis,  
Spe, fide, amore auctas, ad meliora præis.

SYMBOLUM 72.

*Ter naufragium fecit. 2. Cor. 11*

**P**Aule ter, immensi post tot discrimina mundi  
Jactatus, tumidis es propè sorptus aquis.

Jam.



Jamquè ferebaris ter piscibus esca futurus,  
 Suffocaturas jam bibiturus aquas:  
 Cum Trias occurrens extrema pericula passo;  
 Ter voluit laudi Te superesse suæ.

## SYMBOLUM 73.

*Ter Dominum rogavi. 2. Cor. 12.*

**A** Ngor utrimquè; caro trahit huc, mens inde repellens  
 Nititur in carnem: quanta duella fero?

(a) Carnis agor stimulis: ah! ab hospite sicut ab hoste  
 Vim patior, contrà, mens meliora petit.

(b) Ter Triadem oravi; passus sum terquè repulsam,

(c) Mequè repellendo pellit ad alta Deus.

*(a) S. Aug. conc. 2. in psal. 58. quòd verò additur ab alijs id ortum esse ex familiaritate virginis S. Ibecla a Paulo baptizata, falsum est. (b) Ter, id est, sæpè & frequenter: ternarius enim symbolum est multitudinis & universitatis. (c) Causa datur, ob quam Paulus repulsam passus est, a S. Aug. in psal. 130: sicut ager, cum ei applicatur pharmacum molestum & ardens, rogat medicum, ut illud auferat, medicus autem egrotum consolatur ad patientiam, qui novit, quàm utile sit quod apposuit; pari modo egit Deus hic cum Paulo.*

## SYMBOLUM 74.

*S. Paulus dicit, tres Apostolos, Petrum, Iacobum, & Iohannem, velut ecclesiæ columnas, dedisse sibi dexter as societatis.*  
*Gal. 2.*

**T** Res phlegetontæo revocandis gentibus antro,  
 Testaris focias Paule dedisse (a) manus.

Indivisa Trias fidei tres esse columnas,  
 Ac indivisam vult simul esse basim.

Q

Una



Ux a basis manet alta Trias tribus hisce columnis ;  
Supremique vices verticis ipsa subit.

(a) Quod in dogmate S. Trinitatis, & aliorum fidei mysteriorum futuri essent concordia  
& associati. Comment. communiter.

## SYMBOLUM 75.

Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit,  
qui autem plantat & qui rigat unum sunt. &c. 1. Cor. 3.

**S**ementem mandare solo, conspergere, fulcos  
Scindere sit munus gnave colone tuum.

Sit natura tuum jacto de femine fructus

Sive minore gradu, reddere, sive pari.

Larga Trias facit arva bonis uberrima, quantos

Hac, fidei fructus corda, colente, ferent?

Nota. Dei agricultura homines sunt. 1. Cor. 3. Deus Pater plantat, cre-  
ando, Deus Filius rigat, sanguinem effundendo, Deus Spiritus dat incre-  
mentum, dono gratiæ suæ.

## SYMBOLUM 76.

Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aseen-  
dit, quæ Deus præparavit ijs qui diligunt illum. 1. Cor. 2.

**Q**uæ maneat summx Deitatis amore flagrantes  
Gloria, fas nulli scire, videre, loqui.

Quis superum cantus, quæ sit symphonia cælo;

Musica terrigenas ista beata latet.

Exuperant sensus, transcendunt mentis acumen

Cultori Triadis festa parata polo.

Putas quid est, quod oculus non vidit? &c. definitum est per prophetam:  
ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs. Quære aliud, si inveniatis meli-  
us. Ven. Beda.



## SYMBOLUM 77.

*Spectaculum facti sumus Deo, Angelis, & hominibus. 1. Cor. 4.*

**S**pectandi pugiles durâ luctantur arenâ,  
 In dubio, certant viribus, orbe viri.  
 Athletas homines dicam, terramquè theatrum,  
 Certat ubi noster cum phlegetonte labor.  
 Cælituum genij spectant, hominesquè, Deusquè,  
 (a) Victori palmam quis dabit? una Trias.

(a) *Lege infra symbolum 83.*

Moral. docet hinc S. Chryf. hom. 17. in Epist. ad Rom. nos fugere debere ophthalmuliam, id est, oculorum humanorum servitutem sed in oculos Dei nostros debere conijcere. Duo sunt theatra. Alterum amplissimum, in quo Rex regum, hoc est, Deus, nobilissimis Angelis supatus ad spectandum sedet. Alterum angustissimum, ubi ethyopes pauci, rerum ignari stant, id est, homines, Magnæ est igitur insaniam illud repudiare, & huic inservire. Ita ille.

## SYMBOLUM 78.

*Ego tertio paratus sum ad vos venire. 2. Cor. 12.*

**I**ntumidam Paulus quo fervet amore Corinthum,  
 (a) Emicat obscuris, clariùs igne, libris.  
 Ter conatus eras invisere, semper amare  
 Promptus, ab hac quamquam Tu redamere minùs.  
 Dum toleratorum scopus est Trias alma laborum,  
 Ipsa tui, merces, meta laboris, erit.

(a) *Verf. 15 hoc cap. Nota. Corinthij abundabant opibus, & idco fastuosi erant.*



## SYMBOLUM 79.

*Tria Epitheta vera Charitatis. 1. Tim. 1.*

**C**Redite Christiades, verus quo pectora fervent.  
 E cordis puro fonte resultat, amor ;  
 Nec mundi immundi, nec sint contagia carnis  
 Nec tua spurce puer tela Cupido gerat ;  
 Nec sit ficta fides, sit mens tibi conscia recti,  
 Hic summæ Monadi perplacet unus amor.

## SYMBOLUM 80.

*Tria una. ad Eph. 4.*

*Unus Deus, una Fides, unum Baptisma. In hunc locum S. Chryf.  
 aliàs tom. 4. pag. 955. Unus Deus, una fides, unum Baptis-  
 ma. Ecce spes fidei. Unus Deus & Pater omnium, qui super  
 omnes, & intelligitur Deus. Pater, & per omnia, intelligitur  
 Filius, & in omnibus, scilicet, spiritus S. Ita quoque  
 Hieron.*

**U**Nicus in solio Rex, sol ut solus in astris,  
 (a) Unicus in cœlis est Deus, una Trias,  
 Quæ canitur fidibus, chordis e corde sonoris  
 Una viget toto floret & orbe fides.  
 Securo in portu sisti mens æstuat? una  
 Munda sacri fontis provehat Unda ratem.

*(a) Attalus Martyr a tyranno per contemptum rogatus quod nomen Deus noster haberet  
 Respondit: qui plures sunt, nominibus discernuntur; qui autem unus est, non indiget nomi-  
 ne; Euf. lib. 6. Hist. cap. 3.*

SYM



## SYMBOLUM 81.

*In nomine Jesu omne genu flectatur; caelestium, terrestrium, & infernorum. Philip. 2.*

**I**Nter adorando curvetur nomine **J E S U**  
 Omne vel Aligerum, Terrigenumve genu.  
 Plaudite Terricolæ, quibus orci vincla refringit,  
 Orcicolæ credunt, cumquæ tremore, colunt.

**O** Trias ! hoc cunctis sit amori, sitquæ saluti

(a) **A** Te, nomen, **Jo.** ! quod super omne, datum.

(a) Cur nomen **J E S U S** magis soleamus honorare, quàm nomen **Deus**? quia **Deus** significat Deum, quæ **Dominus** & **Creator** est, **J E S U S** significat Deum, seu suppositum divinum, quæ **Salvator** & **Redemptor** est; nihil autem nasci profuit nisi redimi protuisset, canit ecclesia in benedictione cerei paschalis. Ex S. Greg. in pastor. Et ideo etiam nomen **J E S U S** in vanum sumere, majus peccatum est. vide de hoc Abul. eruditè scribentem in Exod. 20. q. 7.

**N. 2.** Christi sunt præcipua tria nomina. **Emanuel**, **Christus**, **J E S U S**. **Emanuel**, est idem, quod nobiscum **Deus**, id est, **Deus** cum naturâ nostrâ humanâ, quod est in **Christo**. **Christus**, est nomen signans **Regem**, **Sacerdotem**, **prophetam**. **J E S U S** est idem, quod **Messias**, **Salvator**. Nullum autem ex ipsis ita proprium ac personale est **Verbo Incarnato**, ac nomen **J E S U S**. Vide Abul. in Matt. 1. q. 60.

(a) *Quærit Abul. quare majoris reverentia sit nomen **J E S U S**, quàm nomen **Deus**, & respondet primo loco penult. cit. quia sic in privilegium datum est a totâ S. Trinit. lege etiam quæ diximus de hoc alibi : p. 26.*

## SYMBOLUM 82.

*Sobriè, justè, piè vivendum. Tit. 2.*

**A**Rs benè vivendi, quâ vita perennis aditur,  
 Paulino verbis manat ab ore tribus.

**J**ustitiæ leges cum sobrietate teneto,

(a) **V**ive alijs justè, sobrius esto tibi.

Tertia



Tertia vox sacrandæ Deo, cœloquè ferenda,  
Vive piè Triadi, præmia trina dabit.

(a) Ex S. Bern. serm. 11. inter parvos, ubi ait: vivamus sobriè erga nos, justè erga proximum, piè erga Deum.

Nota. Ex verbis hujus loci ad Tit. 2. scilicet: apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem, sobriè & justè, & piè vivamus expectantes adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris JESU Christi &c. Probant Commentatores contra veteres & novos Arianos, JESUM Christum esse verum, magnumquè Deum.

## SYMBOLUM 83.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. 2.

Tim. 4,

**Q**uis memoret Pauli seriem sine fine laborum?  
Parta, cui duro Marte, corona datur.

(a) Ac velut in stadio quoties attingere metam  
Contigit; & laurum præripuisse alijs?

More fidem servantis hero, constanter amavit  
Aspera pro Triados plurima ferre fide.

(a) Fit hic allusio vel ad agones olympicos in quibus luctando, pugnandoque: vel ad stadium, in quo currendo, certabatur: ubi victores bravys & coronis a brabeuta donabantur. Talis agon vel stadium erat vita Pauli: bravium, gloria cœlestis, seu visio SSS. Trinit. Brabeuta seu præses certaminis; SSS. Trias.

## SYMBOLUM 84.

In ipso vivimus, movemur & sumus. Act. 17

**N**ec vitam dedimus nobis, nec traximus esse,  
Immotæ Triados motus ab ente venit.  
Piscis in oceano, movet ales in aère pennas,  
Sed vitæ & motûs unica causa Trias.

Quil-



Quisquè Deo vitam, motumquè adscribe Tri-uni,  
Quo sine nec spires, nec movearis homo.

*In Patre sumus, in Filio vivimus, in Spiritu S. movemur & proficimus, inquit Cy-  
prius, Sermon. 1. de Baptismo Christi.*

## SYMBOLUM 86.

*Tres sunt qui testimonium dant in terrâ: Spiritus, Aqua, San-  
guis. 1. Ioan. 5.*

**S**piritus in terris, sacrum baptisma, cruorquè,  
Tres Triadis faciunt, ore tacente, fidem.  
Ille columbinâ, linguæve, ignisve figurâ,  
Martyrij sanguis, fontis & unda sacri.

Spiritus, unda, cruor, Christi de corpore manant,  
Testanturquè (a) hominis cum Deitate fidem.

*(a) Sanctiss. Trinitati per Christum hominem omnis honor defertur. S. Aug. lib. 3. con-  
tra Maxim.*

## SYMBOLUM 87.

Triples radix peccati.

*Omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut con-  
cupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. 1. Ioan. 2.*

**Q**uæ tria mundus habet, vel amat, vel jactat, & ambit,  
Si benè dispicias, omnia despicias.

Te vel opes facient inopem, sunt mellea fella,  
Est onus omnis honos, est & amarus amor.

(a) Prototypi mens nostra capax; huc dirige vota;

Hinc, honor omnis, opes, delicixquè fluunt,

*(a) Id est, imaginis Dei, tum naturalis, tum supernaturalis, de quâ suprâ symb. 84.*

SYM-



## S Y M B. 87. de eodem.

**P**rospice, si sapias, quo sis homo fine creatus,  
 Ad mala tam pronæ pone capistra gulæ.  
 Vos, pudor ! abreptos a mentis origine, sensus,  
 Et Caro, vel vitæ Fastus ad ima rapit.  
 Omnia, quæ cupitis, non sunt nisi somnia vana,  
 Unius Triadis corda cupido trahat.

*Moraliter, nota ex S. Bern. serm. 1. in octavâ paschatis. Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis, oculorum, & ambitio sæculi; hæ sunt 3. turmæ, quas fecerunt Chaldæi. Sed memini quoque S. Iacob tres turmas fecisse, cum timeret a facie Esau, rediens e Mesopotamiâ. Et nobis ergo adversus triplex genus tentationis triplici opus est munimento. Vt carnis concupiscentia sanguine ./. mortificatione superetur, est enim & martyrij genus, & quædam sanguinis effusio, quotidiana corporis afflictio; oculorum concupiscentia superetur studio compunctionis, assiduitate lacrymarum, quæ est aqua; ambitionis vanitatem spiritus charitatis excludat. Et hi tres unum sunt: quolibet namque deficiente ex his tribus, cætera adesse non præsumas: & qui tale testimoniû dabit in terrâ, merebitur & habere in cælo, ita ut Pater suscipiat tanquam Filium, & hæredem, Filius asciscat tanquam co-hæredem, Spiritus S. adhærentem Deo, unum Spiritum faciat esse cum eo, ita Bern.*



## SYMBOLUM 88.

*Regnum Dei, est iustitia, pax & gaudium in Spiritu S. Rom. 14.*

**I**ustitia est summi leges implere parentis,  
Regnare est, tanto subdere colla Patri.

Hinc animi pax prona sequi, quâ subdita menti

Fit caro, mens Trino subiacet ipsa Deo

Pneumatis hinc flatu primæva repotia captat,

Et vitæ, (a) fructus labe carentis, habet.

(a) Id est, fructus in statu innocentia originalis delibatos, ut scilicet appetitus rationi, ratio Deo, in omnibus subderetur, quæ erat summa pax & gratia hominis. Hinc Apost. Eph 4. renouamini spiritu mentis vestra, induite novum hominem, qui secundum Deum, id est, ad Dei exemplar, creatus est in iustitiâ & sanctitate, & hoc est regnum Dei, in hac vitâ inchoative, postea in cælis perfecte

## SYMBOLUM 89.

Quod addi posset symbolis evidenter probantibus.

*Veri Adoratores adorent Patrem in Spiritu & Veritate. Ioan.*

*4. super quod Innoc. III. lib. 3. Myst. Missæ cap. 8. qui*

*Deum, inquit, satagit adorare veraciter, Patrem adorat in Spiritu S. & Veritate, id est, in Filio quia Pater essentialiter est in Filio, & Filius naturaliter est in Patre, Spiritus S. substantialiter est in utroque.*

**N**umen adorandi, modicâ velut in nuce nobis

Illius a summo Numine, summa datur,

Verus Adorator colat in spiramine Patrem,

Mentis & in Partu laudet Utriquè parentem.

Sint tua, dispicias, conformia vota saluti,

Non deerunt precibus congrua dona tuis.

Hæc sunt quæ de Scripturâ collegimus, plura invenire poterit, qui magis operose eam persequi sua solertia voluerit.



# DIVISIO SECUNDA

## Ex historijs & exemplis

### PRÆNOTATIO.

**S** Aug. 1 de Trinit. & ex eo magister sententiarum lib. 1. dist. 2. præscribens modum tractandi de Sanctiss. Trinitate. Primò vult auctoritatibus S. Scripturæ mysteriū illud confirmari; deinde exemplis ac historijs; & congruis rerum naturalium similitudinibus deniquè persuaderi. Ejus in præsentiarum doctrinæ vestigijs insistimus, non quidem adversus impugnatores aliquid moliendi, aut cum eis congregiendi animo: tunc enim acies argumentorum prima, utpote ex Scripturis copiosior foret instruenda, ac in latiores campos diducenda. Sed ad excitandum in purgatis ab omni errore, & benignis Catholicorum mentibus; & potissimum in pijs SSS. Trinitatis cultoribus, (dum symbola ex historijs collecta obijcimus, juxta illud Philosophi dictum: Obiectum movet intellectum) majorem hujus colendissimi et sacrosancti mysterij venerationem, ac cultum. Quem nostri conaminis unicum esse scopum ingenue profitemur. Et dum mysterium lucis inaccessibilis, historijs, exemplis, ac etiam rerum naturalium similitudinibus illustrare propositum est, absit comprehendendi, vel demonstrandi præsumptio: absit contra dignitatem fidei, agendi intentio, quæ cum sit supernaturalis, non est rationibus naturalibus metienda, ut habet Doctor Angel. 1. p. q. 31. art. 1. & Comment. illi.

**SUB-**



## SUBDIVISIO PRIMA

Trinitas diversorum ex historijs collecta,  
& tri-distichis ad divinæ Trinitatis  
mysterium, vel alium pium  
sensum, accommodata.

## SYMBOLUM 1.

*Trinitas Apostolorum trifariam crucifixorum.*

**T**res Christi comites Triadis sub schemate-fixi  
Petrus, & Andreas, tuquè Philippe cruci-  
Obtigit Andream crux decussata, Petroquè  
Cruce inversa placet, recta Philippe tibi.  
Quæ tibi sorte datur, Triadis tolerabis amore,  
Præmia dispensat, (a) temperat antè cruces.

(a) Deus, qui omnia constituit in numero, pondere, mensura, ipse ab æterno cuiquè dili-  
genti se, suam crucem definiuit, ut tantum, non minus, nec amplius pateretur. Ipse per  
crucem cum in patientiâ, puritate, gratiâ & charitate expolire & perficere decrevit, ip-  
se per crucem ad gloriam eum deducere constituit. Quis ergo horreat aut fugiat crucem a  
Deo, Patre amantissimo sibi ab æterno decretam & admensam?

## SYMBOLUM 2.

Tres fenestræ S. Barbaræ.

*S. Barbara in honorem SSS. Trinitatis tres fenestras jubetfic-  
ri in turri, cui custodienda includitur.*

**B**arbara nomen habes: quo (a) sensu dixerò bellum,  
Quo mundum, Parcas, Eumenidasquè voco.

R 2

Ex



Eximia in Triadem pietas testatur, amorque,  
Factaque de jussu terna fenestra tuo.

Vindicet hoc nomen lupus ipse (b) Dioscorus, at tu  
Agni, dicaris mitior Agna, Dei.

(a) Id est per Anti-phrasin vel sensu contrario, quo dici nunc bellum minime bellum, mundum minime mundum &c. (b) Dioscorus parens S. Barbara, cum de tribus fenestris quareret, virgo occasionem nata de Sacrosancto Trinitatis mysterio multa aperte & divine differit: at Pater impietatis stimulis actum praesidi eam tradit; tandem a Patre capite truncatur. Ex brev.

### SYMBOLUM 3.

*Tres mortui virtute Trinitatis Deificæ suscitati a S. Martino.*  
*Breviarium in festo S. Mart. Resp. 1. primi noct.*

**A**N quisquam fidei Zelo flagrantior ulquam,  
Aut summæ Triadi gratior alter erat?  
Martinum nonnemo vocat quasi Martis alumnum,  
Crediderim Triadis quod quasi (a) Martyr erat,  
Suscitât hinc vitâ functos virtute ter Almæ  
Tres Triadis: merces Præfule digna pari.

(a) Id est, restis.

### SYMBOLUM 4.

*S. Nicolaus, strenuus defensor SSS. Trinitatis, contra Arianos eam naturali ratione arrepto latere in Concilio Nicæno probat, de quo infra subdivisione ultimâ in symbolis naturalibus. Item in memoriam Trinit. tres filias triplici auri pondere dotat.*

**T**RES Natas Cypridis ducens malefanus ad aras,  
Arfuras stygio, non putat, igne Pater.

Quò.



Quò turpis tua stulte parens impellit egestas.  
 Pectora? sed ternas est miserata Trias.  
 A ffatu Triadis triplici numismate Præful  
 Eripis e fœdo tres Nicolae probro.

## SYMBOLUM 5

*Item tres Tribuni per S. Nicolaum a capitis supplicio liberati.*

(a) **C**Æsar is imperio falsis rumoribus acti,  
 Judicium capitis tres subiêre Duces.  
 Præfulis admonitu minitantis imagine, Cæsar  
 Supplicium revocat territus, antè datum.  
 Præsidio ternis Trias est infontibus, insons  
 Semper ut a Trino Numine, speret opem.

(a) *Tres hi tribuni a Constantino Augusto per calumniam erant condemnati, qui propter famam miraculorum orationibus S. Nicolai se commendabant. Metaph. & aliq.*

*Nota. S. Nicolaus puer, ter etiam quâvis hebdomadâ ab uberibus abstinerebat instinctu Spiritus S. edoctus. Vide Nucl. Coppens in festo S. Nicol.*

## SYMBOLUM 6.

*Triplex fulmen quo, anno Domini 510. Olympus Arianus Episcopus Carthagine in balneis blasphemias evomens in SSS. Trinit. cœlitus excuritur.*

**A**Rij Triadem sectator Olympius olim  
 Blasphemo in thermis impius ore petir.  
 (a) Immersum Vulcanus aquis emissus olympo.  
 Corripit, ac flammis impia membra vorat.  
 Quam ratio, natura, Patres, Scriptura fatentur,  
 Extorquent Triadis fulmina trina, fidem.

(a) *Ex Damasceno, Adone, Platina, Vâsao & Baronio. anno Cristi. 494.*

SYM-



## SYMBOLUM 7.

*Tres calami Valentis Imper. Quibus D. Basilio magno fidei, circa SSS. Trinit. præsertim Homousij propugnatori, ne quicquam exilij sententiam intentat.*

**E**Xilium mandare vales, sed non dare, Cæsar,  
Rex es, Magne Valens, (a) Rex quoque magnus  
Impie tres calamos incassum stringere tentas, (is est  
Gestit in adversis, exilit exilio.

Esto valens animis, armisque valentior, arma  
Tutori Triadis nulla nocere valent.

(a) *græcè Basilius, latinè idem quod Rex.*

## SYMBOLUM 8.

*Triduum S. Cæcilie quo superest a trinâ percussione, laudans Deum Trinum & Vnum.*

**C**oncentus modulata novos pia virgo Tri-uni,  
Vicinus fatis ut solet albus olor.  
Sedula sicut apis jam mella perennia captas,  
In cellis cœli dispositura dapes.  
Ternas ecce ter icta moras exposcis, ut uni  
Plura legas Trino mella melosque Deo.

## SYMBOLUM 9.

*Tres rosæ S. Dorotheæ, quas promittit Theophilo præsidis advocato, ac e cœlo mittit, quibus eum ad religionem veri Dei ab idololatriâ convertit.*

**E**Xigis æthereâ tres arce Theophile Flores,  
Accepto- faciam mox satif-ense tibi,

(a)



(a) Tres calathos rutilas celestibus aliger hortis,  
 Detulit, hyberno mense stupente rosas.  
 Redde suos Triadi cultus, dictisquæ beatæ  
 Martyris adde fidem, paruit illa tuis.

(a) Ecce puer in oratorio ferens tria mala, & tres rosas dixit Theophilo: en transmisit hec tibi Dorothea de paradiso sponsæ sui. Tum stupens quod esset Februarius, & gelu cuncta rigerent, ea accepit, & fidem Christi professus est. Brev. ex probatis actis.

## SYMBOLUM 10.

Tres cruces, quas S. Helena Imperatrix Constantini mater,  
 Hierosolymis invenit.

**A**D Solymas Regina potens ope Numinis arces,  
 Heroumquæ valens agmine, carpit iter.

(a) Tellurisquæ Crucem densâ sub nocte latentem  
 Impigra scrutatur, sedula poscit opem.  
 Mox trinæ patuere cruces: sic vota beavit  
 Principis optato Regia fine Trias.

(a) Post hæc Judas aliàs Quiriacus S. Ord: S. Crucis Patronus cum socijs viriliter fodere cepit & viginti passus fodiens, tres Cruces invenit, quas Regina detulit. Pet. de Nat. lib. 4. cap. 117.

## SYMBOLUM 11.

Julianus apostata, hostis SSS. Trinitat. S. Quiriacum, quod  
 scripsisset multas Epistolas, quibus ab idolorum cultibus  
 multos revocaverat, triplici titulo Beatum, scilicet Religio-  
 nis, Episcopatus, Martyrij interficit. Pet. a Natal. l. cit.

(a) **K**yriakos Christi vestigia ritè secutus,  
 A Domini inventâ qui Cruce nomen habet.

Fit



Fit Cruciger Solymis, nova præfulis infula fulsit,  
 Nec submissa, decus, mens, putat hocce suum.  
 Inde Crucis toto laudes Oriente tonantem  
 In Triadem Cæsar (b) perfidus, ense ferit.

(a) Id est, Dominicus. (b) Cum Julianus linguam sortitus esset disertam, acuit eam contra  
 nostram omnium Salvatorem Christum, & tres scripsit libros adversus S. Evangelium, &  
 contra piam Christianorum Religionem, inquit Cyrill Alexand. in prælib. in Jul. Item  
 testatur Bar. anno Christi 363. eundem Julianum Scapidem, qui idem est, quod sol apud  
 Egyptios, & Isidem, quæ idem est quod luna, multum coluisse. Putavit etiam animam Al-  
 exandri in se transmigrasse, siquæ in alio corpore eundem Alexandrum esse. Vide Baron.  
 loc. cit.

SYMB. 12. de eodem.

**G**ente Judæus eras, & Judas dictus ab ortu,  
 A Cruce quærendâ dicere (a) Quiriacus.  
 Assertam latebris uno te vindice constat,  
 Hinc prior inventæ Bajulus esto Crucis.  
 Post tria sæcla pio Christi sacra cruore,  
 Sancta Trias voluit tingere, ligna, tuo.

(a) Id est querens Crucem Dominicam.

SYMBOLUM 13.

*S. Helena præter innumeras alias, tres Collegiatas Ecclesias in  
 honorem SSS. Trin. ædificat in Germaniâ.*

**O**Fidei toto faulrix venerabilis orbe,  
 Hæreseon mastyx, Christiadumquæ decus.  
 (a) Quis memoret dotata tuis altaria donis?  
 Quis canat innumeris condita templa locis?  
 Cultricem Triadis collegia trina fatentur,  
 Xanthi & Agrippa tuis, Bonnaquæ clara, bonis.

(a) Vide nostrum Rossellium in vitâ S. Helene cap. 2.

SYM.



## SYMBOLUM 14.

Trifagion Angelicum

*Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis &c.***C**hristiades toto cantate Trifagion orbe,  
Si salvanda seges, si-ve fuganda lues.(a) In sublime puer longè super aëra raptus,  
Attulit Angelicis hæc documenta Choris.Sancte, potens, fortis Deus, immortalis, ab omni  
Quâ premitur, populum protege clade, tuum.(a) Sub annum Domini 446. tempore Theodosij Imperat. Constantinopoli, pro communi necessitate processio instituta est, ex quâ puer in aëra sublatus; & hoc Trifagion ab Angelis, ut a populo decantaretur edoctus, cladem avertit. Ex Damasc. trad. de Trifagio.

## SYMBOLUM 15.

Tres Filix S. Sophia.

*Fides, Spes, Caritas.***D**iva Sophia tribus fœlix matrona puellis,  
Christiadum Charites tres tibi Roma dedit.

Victrices adeunt fuso tres sanguine cælum,

Ter, phlegetontæam, victæ tyranne, stygem

Redde Vices parti, merces Trias una, triumph;

Vinciet æternis tempora terna rosas.

## SYMBOLUM 16.

*Tres digiti, quibus S. Augustino scribenti, SSS. Trinitas imaginem suam revelat.***D**extra movens calamum digitos tres neçtit in unum

Omne Dei robur (a) ter digitale notat.

S

An



Angitur, hic Doctor scribens laudesquè precesquè,  
 Fortè Tri-unius cognitione Dei.  
 Continuò tantus librorum Scriba docetur,  
 In Digitis Triados symbolon esse tribus.

(a) *Isaia 40. de quo supra pag. 40.*

## SYMBOLUM 17.

*Tria vota S. Augustini scilicet Videre Christum in Carne Romanam in Flore, Paulum in Ore. Ex Ravis: Lips: & alijs.*

**V**Ota ter augustus tria concipit Augustinus,  
 Qualia Majoris fortè Catonis erant. (a)  
 Florentem spolijs Urbem, (a) Paulum Ore tonantem,  
 Et tectum humanâ carne videre Deum.  
 Devia ne portu votorum cymba tuorum,  
 Ad Triadem, cordis carbasa pande tui.

(a) Cato major, ut in ejus vitâ refert Plutarchus, tria vovebat a se non fuisse facta, sed frustra: videlicet, quòd unquam secretum credidisset mulieri. Quòd navigio aliquo i veris quòd pedes ire poterat. Quòdquè in incertâ & brevi vitâ uno die manserit inestatus. (b) Si potuit una vox Paulina, ad Romanos 13. lecta; Augustinum convertere, quid fecisset integra viva- què oratio?

## SYMBOLUM 18.

*Trinus & unus gradus ad Deum, a S. Augustino assignatus.*

**A**Rdens Aurelius Triadis scrutator (a) amore,  
 Quis gradus ad Triadem fortè rogatus (b) ait.  
 Primus & Alter erunt, Submissio ferâ mentis,  
 Ipsaquè Mens Humilis, Tertius esto gradus.

Est



Est Trias humanæ mentis perfectio, cuius  
Per valles imas est adeundus apex.

(a) datur ratio cur imago S. Augustini huic libro præfixa sit.

(b) Dioscorus querebat, quæ esset via ad perfectionem & Deum, cui respondit S. Augustinus tertio: Humilitas, Humilitas, Humilitas. Epist. 55. ad Dios.

## SYMBOLUM 19.

Tres paræ quantitatis decedentes Guttæ, quæ in unum coeuntes  
Vasati gemmam triangularem effecerunt.

(a) **T**ER Sanctis operante sacris Antistite, guttas  
Fornice de templi tres cecidisse ferunt.

Unius in gemmæ mox confluxere nitorem,  
Et Crucis in medio Gemma trigona micat.

O Ari! Triadis mastyx! unum Unio Numen  
Exhibet, & Trinum forma trigona Deum.

(a) Episcopus urbis Vasatensis, cum ab Hunnicâ clade beneficio Dei urbs liberata esset, in gratiarum actionem, solemnem missam celebravit, visæque sunt super altare quasi de camera templi cadere, tres æqualis magnitudinis guttæ, crystallo clariores, quibus in unum coeuntibus pulcherrima gemma triangularis efformata est, quam Episcopus in medio aurea Crucis, venerationis ergo contra Arianos eâ tempestate multum Ecclesiam infestantes collocavit. Sig. in Chron: anno 453.

## SYMBOLUM 20

Trina victoria, quâ Cosrhoës impius irrisor SSS. Trin. ab Heracleo ejusdem pio cultore, divinitus punitur.

**P**erpeffus jam Cæsar erat ter ab hoste repulsam  
Nec via condendi fœderis ulla pa ter.

Fit via vi: Triadi(a) raptos ulturus honores,

Icone prælatâ Rex animatus, abit.



Irruit, & victo Triadis victore, triumphans,  
Tres vectat vincetos post sua terga duces.

(a) Cosroës Persarum Rex, victorijs insolens nec iniquis quidem conditionibus pacem cum Heraclo iure voluit. Currum ex auro fabricavit, in quo resedit quasi Deus Pater, iuxta se Crucem Domini a dextris posuit loco Filij, & gallum a sinistris loco Spiritus S. ; seque iussit coli ut Deum, ideoque a Deo punitur, & ab Heraclo tres ejus exercitus profligantur prolata imagine Christi non manu, sed a Deo facta. Ex Siffrid. presb. lib. 1. Epit. anno Domini 612. Bar. anno 614.

## SYMBOLUM 21.

*Parelia, seu tres soles in unum coeuntes.*

(a) **V**iderat ut primam mundi Lux unica lucem,  
Hispano soles tres micuere polo.  
Tres videas unum subito coisse sub orbem,  
Sol triplicis solis lumina solus habet.  
Castilio cur orbe micant? ferventiùs olim  
Quòd sit ab Hispanâ gente colenda Trias.

(a) Ipsa die nativitatis Christi hi soles visi sunt in Hispania ut refert D. Tho. 3. p. q. 36. a. 3. ad 3.

## SYMBOLUM 22.

*Tres Cruces pavimento infixæ infra quas Tiberius II. Imperator, summè liberalis in pauperes, thesaurum invenit.*

(a) **I**n miseros largitus opes, insignia Cæsar  
Christiadum spectat sculpta jacere solo.  
Calcari ratus indignum venerabile schema,  
Sustulit, inde crucis forma secunda patet.  
Tertia Crux referat, clavus velut aurea, gazas,  
Cæsar opes, inopes distrahit inter, opum.

(a) Tiberius, cum etiam insignia & ornamenta imperij fuisset in pauperes elargitus, monitus, ne res imperij prodigat respondit: Deus non deerit fisco nostro. Et ecce paulò post in



palatio ambulans videt crucem in pavimento, quam calcare indignum iudicans, sustulit,  
& rursus aliam cornit, qua etiam sublata, tertiam; infra quam thesaurus latebat, quem  
acceptum similiter in pauperes erogavit. Ex Paulo Diac. lib. 6. c. 3.

## SYMBOLUM 23.

Tres panes Mariæ Ægyptiacæ.

Quibus 17. annis in eremo vixit at.

**C**Alta fit Ægypti meretrix ope Virginis almæ,  
Et Cruce inspectâ fert animosa crucem.

(a) Alta decem septemque annis, tribus altâ in eremo  
Panibus, ut carnem cum phlegetonte domet.

Organa dum crapulæ, mutat virtutis in usum,  
Sancta Trias proprio dæmonas ense ferit.

(a) id est, nutrita.

## SYMBOLUM 24.

Maria Ægyptiaca ter ab ingressu templi Hierosolymitani re-  
pulsâ, ubi Crux ostendebatur ipso festo Exaltationis; exinde  
30. annos absque ullo esu exegit.

**N**ON est a pedibus peccatrix passâ repulsam  
Magdalis, a templo pulsa Maria fuit.

Prima venit lacrymans, templum petit illa cachinnans,  
Grata ter illa fuit, pulsa ter ista fuit.

Vertitur in lacrymas risus: velut Angelus, annos

Ter denos Triadi transigit absque cibo.

## SYMBOLUM 25.

Triennium, quo S. Benedictus latitat in altissima spelunca, quæ

Sublacus dicitur, ut totus divinæ contemplationi vacet.

**S**ilvarum quâ mente petis Benedicte recessus?

A turbis Urbis solus abire paras?

Sil-



Scilicet immensæ Triadis folius amore  
 Spinofum placuit Relligionis iter.  
 Præ turbis hominum tibi grata triennis eremus  
 Te vehet ad Superûm Cœlicolûmqûè choros.

## SYMBOLUM 26.

*Tres speciales Virtutes, quibus claruit S. Bernardus. Humilitas  
 Misericordia, Benignitas.*

**Q**Uàm gratos Triadi spirat Bernardus odores?  
 Nomine, quin etiam Re, bene, nardus, olect.  
 Lilia cum nardis Clarâ sub Valle legebat,  
 Lilia submissæ symbola mentis habent.  
 Visceribus, miseros erga, pietatis abundans:  
 In cunctos placidâ fronte Benignus erat.

## SYMBOLUM 27.

*Tres aliæ Virtutes, quibus tres SS. Viri excelluerunt. In vita  
 S. Norberti legitur, vulgò dici solitum, quòd in S. Norberto  
 vigeret Fides, in S. Bernardo Charitas, in Milone Terrenti-  
 na (a) Episcopo, Humilitas.*

**N**ORBERTUS Fidei splendor, Candoris amictu  
 (b) Virgineâ meritò Præsul in Urbe micat.  
 In Triadem fummo flagrat Bernardus Amore,  
 Dulcîs ut reliquis nardus odore fragrat.  
 Fortior hic (c) OliM, limo sibi vilior Iste. (d)  
 Te docet ad Triadem quâ potes ire, (e) viâ.

*(a) sive Audomari. (b) Maegdenburgum sive Parthenopolis. (c) Trifariam capitur. Idem  
 primò pro cive Rom. de qua Cic. orat. 2. dò pro Athletâ qui pugno taurum mactavit, hoc  
 meritis portavit, eodemq; die solus deuoravit. 3tiò. pro Monte India in quo homines in  
 plantis cum 18 digitis nascuntur. (d) Est. n. Humilitas, ait S. Bern: quâ homo cognitionem  
 suâ sibi ipsi vilescit. Nec potest quisquam ad supremam Majestatis cognitionem pervenire,  
 prævia infima Vilitatis suæ notitiâ. (e) Vide Symb. 18*



## SYMBOLUM 28.

*Triduum exequiarum, quæ pro Doctore Sorbonico celebrantur,  
sed erecto capite vociferatur, primo die se coram judicio Dei  
accusatum; secundo, judicatum; tertio, condemnatum.*

**P**arisij Doctor, Marcellum nomine dicunt,  
Funereas geminat dum facer Ordo (a) preces.

Primo accusatum, ferali voce, secundo

Judicium Triadis se subiisse, die:

Post, magis horrendâ Damnatum voce boavit;

Peccator Triadem quam verearis, habes.

(a) sæpius repetendo Requiem &c.

## SYMBOLUM 29.

*Liber S. Dominici ab hæreticis in ignem coniectus, ter ejus pre-  
cibus ad Deum fufis, resilit.*

**C**usa movet stygijs incudibus hæresis arma,  
Dum gregis egregius Pastor ovile fovet.

Judice Vulcano fidei certamen initur,

Sorbentur subitis dogmata falsa rogis.

At Triadis venerata decus ter flamma recessit,

Ter salit ardenti liber ab igne Liber.

## SYMBOLUM 30.

*S. Dominicus ter quavis nocte ferreâ se catenâ flagellat.*

**C**ur pater infantes diro lacerare lacertos

Ære Paras, artus exanimasquè tuos?

Est Domini sectanda mihi cum Nomine vita,

Proquè reis-faciat passio nostra fatis.

Ma



Munere placantur Reges, mea vulnera placant  
Offensam Triadem, (a) ter repetita placent.

(a) Ter singulis noctibus catena ferrea se flagellavit S. Dominicus. Primò pro se ipso. Secundo pro peccatoribus in mundo. Tertio pro animabus in purgatorio. Idem S. Pater in virtute SSS. Trinit. tres mortuos ad vitam excitavit. Item tres episcopatus respuit.

## SYMBOLUM 31.

Tria Templà a S. Francisco ante institutum Ord: in hon. S. Trin.  
restaurata. sc. S. Damiani, S. Petri, necnon Portiuncula olim  
S. Maria de Angelis vocitata.

**F**RANCISCUS triplicis relevat dum rudera Templi,  
Divinum e studio disce fuisse Virum.  
Indoluit muros & templà labascere passim,  
Et mores sacris pænè deesse Viris.

Magna Patraturus non major ad ardua lectus,

(a) Est Triadi jussus ponere templà, Minor.

(a) Cum die quâdam in Ecclesia S. Damiani (quæ præ vetustate ruinam minabatur, S. Franciscus lacrymosis oculis orando in Dominicam Crucem intenderet) vocem audivit sibi dicentem: Francisce vade & repara domum meam. Sur. 4. Octob.

## SYMBOLUM 32

Tres Mulieres pauperculæ, ætate, facie, staturâ similes appa-  
rent S. Francisco, coquè salutato, disparent.

**M**ATRONAS ætate pares, vultuquè statuquè,  
Tres Patri Assisio misit ab arce Trias.  
A tribus insolitæ mox audit verba salutis,

Salve Paupertas Relligionis honos.

Tres laudi Triadis Charites dant vota Parenti,

Pauperiem statuât Relligionis Heram.



## SYMBOLUM 33.

*S. Franciscus docet Bernardum a Quintâ valle, a SSS. Trinit.  
tria vota Religionis auspicanda, ter aperto Evangelio.*

**P** Rincipium scilicet Triadis qui nomine cepit,  
Dimidium facti quod bene cepit, habet.

Hoc Pater Assisius ter codice discit aperto,  
Bernardo a Quintâ valle volente sequi.

(a) Vota Trias monstrat; vende omnia, sis comes absque,  
Et baculo & perâ, non tamen absque cruce.

*(a) Aperto libro primò occurrit: si vis perfectus esse vade & vende omnia &c. Secundo,  
nihil tuleritis in viâ. Tertio, qui vult venire post me, abneget semetipsû, & tollat crucem su-  
am, & sequatur me.*

## SYMBOLUM 34.

*Tres auri partes inventæ, quas S. Franciscus offert SSS. Trinitati.*

**P** Oscit ab Assisio Numen tria munera Patre,  
Scis me mendicum, quas dabo, dixit, opes?

Daquè, iubequè, dabo. Membrisquè sopore solutis  
Repperit in tenui flava metella sinu.

Sic tria dona Ducem, docuit Trias alma, Minorum,  
Corde profecta pio grata placere sibi.

## SYMBOLUM 35.

*Christus tribus telis volens perdere mundum à tribus impeditur.*

*D. Virgine, S. Francisco, S. Dominico.*

**F** Ulmineis Judex telis horrendus & irâ,  
Fulmen in humanum, torlit ab axe genus.

T

Visce.



iscera mota piæ Matris, miserata ruinam,  
 Assisij implorat Numen amantis, opem.  
 Adfuit eximij mox tertius Ordinis (a) Auctor,  
 Iratâquè faces præripuère manu.

(a) S. Dominicus

SYMBOLUM 36.

*Tres Coronæ S. Petri Martyris Ordinis PP. Præd. quas depin-  
 gitur manu gestans.*

**N**ECTitur e niveo tibi Petre corolla colore,  
 Dequè triumphatà Lilia carne niuent.  
 Dumquè domas fidei doctis sermonibus hostes,  
 Debentur studijs Laurea Sertâ tuis.  
 Sanguinis in terram successit Laurea fusi,  
 Aurea Te cœlis Petre Corona manet.

SYMBOLUM 37.

*Tria lilia S. Ægidij socij S. Francisci.*

**A**Mbigit eximius Princeps, sed fuste docetur:  
 Quo Minor e terrâ Lilia terna citat.  
 Lilia quæ nivei sunt argumenta pudoris  
 Virginis intactæ Christi-parentis, erant.  
 Ante, sub, a partu castam dubitare Mariam  
 Ter, Trias, Ægidi Te docet esse nefas.

SYMBOLUM 38.

*Triples ordo ad cœlos ascendentium ac Cruces trifariam Portan-  
 tium. Gerardus de Frachero.*

**O**Rdo triplex quondam visus conscendere cœlos,  
 Non uno, at triplici schemate ferre crucem.

Tol.



Tollere pars humeris, manibus pars tollere visa,  
At præferre alijs, cœlicus Ordo, Crucem.

Ad Triadem vis ire? crucem sufferre memento,  
Cernitur ordo triplex: at Crucis una via est.

## SYMBOLVM 39.

*Tres Tiliæ, quas S. Adilia Abbatisa plantat in nomine SSS.  
Trinitatis. In ejus vitâ 13. Decem.*

**V**irgo memor Triadis dono, se lucis adeptam  
(a) Munera, cum sacris prouideretur aquis;  
(b) Tres Tiliæ ramos licet obnitente fororum  
Confilio, Præses provida mandat humo,  
Nomine tres Triadis plantæ tria sæcla virentes,  
Virgineo fiunt gratior umbra choro.

*(a) A natiuitate cœca in baptismo illuminatur. (a) Accipiens primam plantam, dixit: ego te planto in nomine Patris. Secundam in nomine Filij. Tertiam in nomine Spiritus S. ad honorem absconditi mysterij SS. Trinitatis.*

## SYMBOLVM 40.

*Tertium iter Hierosolymitanum ac Romanum. B. M. Theodorus de Cellis ex familiâ Baronum de Celle, ex Canonico S. Lamberti Leodij, Magister Generalis hisce in regionibus. Ordinis S. Crucis propagator, tertio Hierosolymam, totiesquæ, licet debilior proficiscitur Romam amore SSS. Trinitatis succensus. Ex Chron. ord. nostri.*

**C**ellesi claræ stirpis prænobile germen  
Nunc decus & nostræ Religionis honos.  
Ut Crucis in toto repares encomia mundo,  
Ter repedas Romam, ter Solymamquæ petis.

Quid



Quid tenero firmoque minùs ter corpore, durum  
Carpis iter? Trini numquid amore Dei?

## SYMBOLUM 41.

*Triples Animarum Deo devotarum status. Incipientium, Pro-  
ficientium, Perfectarum. De quo doctum ac pium opus, sum-  
mâ mentis industriâ, ante annos circiter trecentos Rev<sup>m</sup>  
P. Petrus Pincharius Magr. Gener. Ordinis S. Crucis  
concinnavit.*

**N**E sua virtuti desint encomia, Chare  
PINCHARI, meritis quis dabit æqua tuis?  
Iam tribus a sæclis vestigia terna parasti,  
Queis rectum ad Triadem provide sternis iter.  
Se domet Incipiens, & foeda piacula vitet;  
Virtutum studio, Perficietur apex.

## SYMBOLUM 42.

Tres Rivuli procedentes a SS. Trinitate.

*S. Mechtildis sub matutinis dum cantaretur Ave Maria, vi-  
dit tres rivulos a S. Trinitate procedentes cor Virginis Ma-  
tris suavissimo impetu penetrare, & de corde ipsius impetuo-  
se suam originem repetere. Ita Titelm. Bredenb. In sin. divi-  
næ Piet. l. 4. c. 12.*

**V**irgo stupet rapidos Triadis tres flumine Rivos  
Virginei in cordis profilijsse fibras.  
Inde suos remeant Rivi properanter ad ortus,  
Ut repetunt rapidi fluminis æquor, aquæ.  
Utpote post Triadem nulli virtute (a) Secunda,  
Hæc sophiæ primas & bonitatis, habet.

(a) B. Virgo summam post Christum gratiam habuit. Vide Theol. 3. p. sum. D. Thomæ.

SYM



## SYMBOLUM 44.

Tres dies Antecinerales.

*S. Mechtildi Christus tribus diebus antecinerilibus sumamè languentis instar, ob hominum lascivè, & dissolutè istis vivendi licentiam, apparuit.*

**Q**uis furor? o vos Christiades tres perdere luxa  
Laxando ventri tresquè vorare dies.

Interea Christus luctu dejectus, & ægri

Atquè daturi animam, cernite, more cubat.

Tempora mutantur meliori fruge, (a) sacratos

Tres Triadi, cinerum condecet ante diem.

(a) Precibus 40. horarum devotè in Ecclesiâ institutis vacando, ac indulgentias lucrando.

## SYMBOLUM 45.

*Trina apparitio quam in honorem SSS. Trinitatis se facturæ asserunt tres virgines ex sodalitiis. S. Ursulæ.*

**D**um Crucis alma Trias primaria Templâ, sacratiss

Exuvijs statuit condecorare tribus,

Tres ex Ursulidum dant agmine iussa sodales,

Fecit & Eppæo Visio trina fidem.

Paret, Parisijs Ubios contendit, & inde

Terna levata solo corpora, vectat Hum.

Nota. Tres Diæto Joanni Eppæo nocte quadam quiescenti ac velut in extasi raptis Virgines apparuere, quarum prima stupentem sic affata est: Nos e B. Ursulæ, quæ Coloniae cum undecim Virginum millibus martyrio olim coronatæ sodalitiis sumus, nominaquæ nostra sunt Christina, Basilia & Imma. Surge frater, surge, vade Coloniae ubi corpora nostra in campo agoris nostri ad occidentem invenies. Et ne aliquæ de veritate rei oriatur dubitatio: trina tibi in honorem Trinitatis Sanctissimæ, visione apparebimus. Ita noster Russ. in gest. vitæ ac translationis S. Odiliæ.

SYM.



## SYMBOLUM 46.

*Ter apparet Ioanni Eppæo S. Odilia Virgo & Martyr in honorem SSS. Trinitatis.*

**I**lla memor stirpis Maromæi Filia Regis,  
Ursuleæ Ductrix prima phalangis ovat.

(a) Viva salutiferæ quoniam Crucis arsit amore,  
Mortua Staurophori facta Patrona Chori.

(b) Hinc Triadi Sacros (nostri Decus Ordinis) artus  
Exhumeret; Eppæum visio trina monet.

(a) S. Odilia apparens in hæc verba, B. Eppæum affatur: quia enim amatrix S. Crucis in vitam semper exstiti: idcirco sumptum inde corpusculum meum ad primarium S. Crucis Cœnobium Huense transferas (b) Postquam secundo apparuisset S. Virgo F. Joanni, id quæ intellexisset P. Mart. Herletius Prior domûs Parisiensis, tertiam visionem in nomine S. Trinitatis exorandam præstolandamquæ hortatur. Synopsis Hist. S. Odilia,

SYMB. 47. de eadem

*Cum scedulâ, quæ reliquijs effossis, est inventa; cum hac trium  
vorum inscriptione: Ego sum Odilia.*

**H**æc eadem Virgo dubium quo tolleret omne,  
Hanc Scedam bustis iussit adesse suis.

Hoc genus, hi proavi, Regali sanguine nata  
Sum (prænomen habes) nuncupor Odilia.

Vocibus his trinis pronomine, nomine, verbo,  
Unius ac trini fulget imago Dei.

SYMB. 48. de eadem

**Q**uot focias, totidem cœlo vehis Ursula stellas,  
Maxima, non major jam velut urfa fores.

U-



Utquè polo pariter fulgeret Odilia nostro,  
Claruit effossâ, nobile nomen, humo.

Vocibus his *Ego sum*, quæ dicor, *Odilia*, Trino  
Juncta Deo, cujus scedula (a) nomen habet.

(a) Vide pag 7. super Symb. 14. *Ego sum*. 1. div.

## SYMBOLUM 49.

*Reliquiæ S. Odiliæ Virginis ac Mart. Colonia Huyum allata, tribus locis ibidem perhonorificè excipiuntur. Primò in Parochiali Templo S. Petri. Deinde in collegiata Gloriosæ Virg. Mariæ Ecclesiâ. Tandem in Basilicâ PP. Cruciferorum, ubi multis claret miraculis, adversus pestem ac febres singularis Patrona. Ita noster Bannelius lib. de Transl. S. Odiliæ.*

**A** Uspicio Triadis tua Martyr Odilia primùm  
Æde sacrâ, memorant ossa recepta, Petro.

Inde (a) Coronatæ subeunt Capitolia Matris

Dum canitur Trino musica sueta Deo. *Te Deum &c.*

Sede Loco fixâ Claro, Patrona gravatos

(b) Peste levat, Fautrix civibus Hoya tuis.

(a) Ecclesia collegiata Hui est dedicata in honorem B. Virg. in cælum assumptæ. (b) Vide nostrum Russelium, & ex eo P. Crombach. *Ursule vindicata. tom. 2.*

## SYMBOLUM 50.

*Tres Patroni Ordinis Sanctissimæ Crucis in memoriam SSS. Trinitatis cœlitus dati.*

**T** Er geminis clarus fulget Crucis Ordo Patronis,  
Illustrem statuit reddere clara Trias.

Quiriacus Solymæ Antistes, Regalis Helena,

Illa Crucem quærit, detegit ille Crucem.

(a)



(a) Decreto Triadis successit tertia Cultrix,  
Odilia augustæ ter Veneranda, Crucis.

(a) Vide supra Symb. 47. & 46. additiones.

### SYMBOLUM 51.

Tres Abbates sanctitate conspicui in celeberrimâ ne perantiquâ  
S. VITI Abbatia Gladbach / Diac: Colon: scilicet. S.  
SANDRARDUS primus Abbas post deflagrationē. S. FOLBERTUS ordine quartus, & S. WOLPHELMUS septimus. Ad modernum D. Brunonem Charmans 40. Abbatem disciplina Regularis observantissimum.

(a) SANDRARDUM docuit Lux Cœlica figere Templum,  
Extorremque cruces livida lingua pati.

(b) FOLBERTO vigilans Cordi custodia linguæ,  
Et pia Jessæi Cantica Regis, erant.

Plurima (c) WOLPHELMUM decorat cum stemmate virtus  
Ductor es ad Triadem tramite Bruno, pari.

(a) Usuardus in Martyrologio, nono kalend. Sept. (b) Surius in vitâ S. Heriberti circa 26. Martij. (c) Surius in vitâ ejus circa 22. Aprilis.

### SYMBOLUM 52.

In eodem Cœnobio Tria Capita scil: S. LAURENTII Martyris,  
S. VITI Martyris et Patroni. S. CHRISTINÆ Virginis & Martyris asservantur.

L AURENTI Caput (a) immotum, mirabile dictum  
Thuricremis VITI fumat in æde focus.

CHRISTINÆ VITIQUE caput, fausto omine terna:  
Tres puto gentilis torruit hosce furor.

Alten



Alter ut Elias (Divum flammescis ab igne)

Ad Triadem ignitis BRUNO vehere rotis.

(a) Nota Caput Sancti Laurentij, ut Corpori in Hispania quiescenti univetur, maximis instantijs & presentationibus munificentissimis petatum; non est passa SSS. Trinitas a loco dicto dimoveri, ut patet in Origin. Monasterij. (b) Dicitur modernus Abbas gerit in gentilibus bigam, duabus rotis totidemque alis instructam.

SYMBOLUM 53.

Item ibidem tria Brachia, nimirum S. Andreæ Apostoli, S. Stephani Protomartyris, ac S. Benedicti Abbatris asservata.

UT què dein secura forent pia Claustra Patroni,  
Addita sunt Divûm Brachia terna virûm.

ANDREÆ, STEPHANIQUE manent defensa Lacertis,  
Tuta novem sæclis stant BENEDICTE, Tuo.

Hoc Trias ostentum Triplex venerabile, thuris!  
Glabachi æternùm sanxit honore coli.

Nota. Primam fundationem factam anno Christi 797. a Balderico quodam Comite ex Regni Francia Primoribus regio sanguine nato, & Hyttâ Uxore ejus, tempore Caroli Magni, quando etiam Basilica Aquisgranensis ab eodem fuit extructa & postea per Leonem ejus nominis primum Pontificem dedicata ita in Hist. & Arch. D. Abbatie.

SYMBOLUM 54.

Tres globuli carnei

B. Claræ de Monte Falco in Italia juxta Assisium Ordinis  
S. Augustini.

TRES globulos, toti Trias ut claresceret orbi,  
E clarâ Claræ carne Spoleta videt.

Quemlibet esse pari distinctum pondere constat,  
Pondus idem bini, quod globus unus, habent.

V

Sive



Sive libret lanx una duos, seu ponderet unum,

Ponderis est paritas, tres tamen esse liquet.

N. Hi tres globuli carnei Spoleti visuntur, & quod mireris, si libræ lanci duos imposueris, & alteri unum, nihil ad pondus adijcitur: tanti namque ponderis est unus, quanti duo, & tamen singuli sunt æquales. Boz. de sig. Eccl. 1. 15. c. 3.

N. 2. Hæc Virgo fuit coca cœnobij. Globuli sunt instar fructuum olivarum, fueruntque inventi in hepate; in corde verò signum Crucis; eò quòd in mysterio Crucis Christi & SSS. Trinitatis se multùm ac valde devotè meditando exercuerit, & ad ejus clarum aspectum summè anhelaverit. Et Cost. in Dom. Trin.

SYMBOLUM 55.

Tres Coronæ S. Elisabeth.

S. Elisabeth cum tribus pingitur coronis, quòd in tribus statibus pietatis laude celebris vixerit. Scilicet cœlibatu, conjugio, viduitate. Lipsius in D. Virg. Hallensi cap. 2.

**C**Ur tua ter geminis sunt insignita corollis  
Tempora; Pannoniæ gentis Eliza decus?  
An quia virginei custos & amica pudoris,  
Candicat intactis prima corona thoris?  
Altera, dum jussis superaddita vincula tedis;  
Et viduæ: Trini munere texta Dei.

SYMBOLUM 56.

*Triples via ad Deum, quam monstravit S. Ignatius de Loyola,  
scil. Purgativa, Illuminativa, Vnitiva.*

**S**Ignavit Triadis flagrans Ignatius igne  
Ter geminas, animus quæis petat astra, vias.

Prima



Prima feros sedat motus, & crimina purgat;  
Lucida virtutum passibus ire facit.

(a) Unitur Triadi tandem mens apta capaxque,  
Formæ materies ut solet apta suæ.

(a) In animi tali tota S. Trinitas est præsens, non solum per charitatem, & suam dona; sed & per se ipsam substantialiter & personaliter: ita ut si prius (per impossibile) non fuisset præsens per substantiam, jam per justitiam & sanctitatem fieret substantialiter præsens. Ita post D. Thomam Theol. mult.

SYMB. 57. de eodem.

(a) **I**ncola quò cæli fias, sis incola cellæ,  
Contritoquè, animæ vulnera, corde geras:  
Dumquè illustantis mens Pneumatis æstuat igne,  
Mox tibi divinus pectus aduret amor.

Una Dei quantum tunc unio pectora mutat!  
Numine cum Trino spiritus (b) unus erit.

(a) Celi ac cella habitatio cognata sunt dicit noster Pincharius ex S. Bern. Vest. nupt. l. 3. cap. ultimo. (b) Unitas spiritus cum Deo, est similitudo Dei, ut palestrè docet S. Bern. tract. de vita solit. ante finem.

SYMBOLUM 58.

*Trina quotidie ejusdem Sancti flagellatio.*

**I**am dominæ carni juvat iniecisse capistrum,

(a) Eximiosquè sequi Religionè Duces.  
Pro lecto non mollis humus tibi lecta, voluptas

Est capiti fax um supposuisse tuo.  
Offensæ ut Triadis memor est, igne ficit amore,

Et geminat quovis terna flagella die.

(a) Idem Sanctus præstantissimos quosquè in macerando corpore emulatus, postquam humus cubile, lapis cervical præbuerat, ter quotidie flagellis in se acriter sevit. Sic imag. 1. sat. soc. l. 1. c. 6.

SYM



## SYMBOLUM 59.

*Triples beneficium ejusdem S. divinitus acceptum.*

**A** Describes, Triados summæ ter maxime cultor  
Lojolides, Divo vulnera sana Petro.  
Virginæ Matri partos de carne triumphos;  
Causa bonæ frugis lectio sacra fuit.  
Ignea vis nativa animis, & ad ardua quævis  
Teque tuosque Dei gloria major agit.

*N. Hic Sanctus vulneris in obsidione Pamplonensi inflicti, curationem accipit a S. Petro.  
Donum castitatis per D. Virginem. Morum mutationem per lectionem piorum librorum.*

## SYMBOLUM 60.

*Tria regna, pro quorum conversione extremè laborat S. Xaverius.*

**Q**uo fervore animi, quanto sudore laboras;  
Quò sit ab immani cognita gente Trias?  
En Japon, en Indus, fidei sine lumine Chynus;  
Arte fides populis quâ referanda tribus?  
Omnia Xaveri tuis indefessus agendi  
Pro cultu Triados ardua vicit amor.

SYMB. 61. de eodem.

**X**Averi Triadis fideique ter inclyte præco,  
Regna per Indorum per Japonumquè plagas.  
Terra polusquè Crucis signo, tua vota sigillant,  
Ut statuas Indo signa sub axe (a) Crucis.  
Te duce prima Crucis circum - vexilla - feruntur,  
Inquè novo Triadis nascitur orbe fides.

*(a) Sancto Xaverio in Insulâ Ceilam confirmante filium regis secundo genitum, primogenitum rex & parens jusit occidi. Cujus Martyrij tempore crux ignea in cœlo apparuit.*



*Et terra, ubi corpus erat sepulchrum, forma crucis est impressa, qua a barbaris subtrahata, divinius a terrâ iterum exhibetur.*

## SYMBOLUM 62.

*Tres Reges ab eodem S. ad cultum veri Dei conversi.*

**D**Um prior in Japonum Xaveri traicis oras,  
Æsonium dicam te superasse Ducem.

Regis ad exemplum vergant si regna, gregique  
Rege fidem nacto fulget a vita fides.

Te duce jam Triadi tria regna novissima parent,  
Hujus & in laudes clausa quot ora patent?

SYMB. 63. de eodem.

**H**Ac quæ luce Japon Trino de Numine credis,  
Lojolæ acceptum, Xaverioquæ feras.

Quo velut exorto tenebris jam sole fugatis  
Errorum, fidei splendicat orta dies.

Regibus ad Triadem docto tribus ore reductis,  
Xaverium major gloria sole manet.

## SYMBOLUM 64.

*Tres Protomartyres. Soc. I.*

**I**Te novi Jesus, patratoresquæ salutis,  
Munus Apostolicum (a) nomen obire monet.

Ferte per atratas Triadis nova lilia terras,  
Vestra salutaris pectora candor habet.

Ite Crucem Jesu tinctam, plantate, Cruore,  
Ter geminos fructus proferet ipsa pares.

*N. Anno 1597. Saviente Taicusama Rege in Christianos Japonie, supremus sacrorum antistes solemniter sententia mortem Crucis in tres PP. Soc. Jesu pronuntiat. Ex imag. primi sac. S. J. (a) hi Tres nominabantur Jacobus, Joannes, Paulus. ibidem.*

SYM-



(124)

SYMBOLUM 65.

*Tres primores regij sanguinis in Chynâ sacro fonte abluti, & SSS. trium Regum nominibus appellati.*

**T**Resquè salutifero baptis matis amne renatos,  
Prognatos Regum sanguine Chyna videt.  
Melchior hic audit, cum Caspare, Baltasar alter,  
Ter gemini Regis nomine digna trias.  
Regia Mens Tripotens, summi què Tri-culmen honoris,  
Hoc socios Jesu donat honore Patres.

SYMBOLUM 66.

*De trium Regum Matre, cum filiâ & nepte ad fidem conversis.*

**V**estra, nec o Patres, hoc, gloria, limite stabit,  
Debetur meritis major honoris apex.  
Regia Nata fidem vobis cum nepte Magistris  
Præbuit, & Regum Mater alumna trium.  
Laureolas meritis tantisquè laboribus æquas;  
Majestas lauros quot Tri-coronis habet?

SYMBOLUM 67.

*Triples & unus religiosus Ordo.*

**A**Nte fatiscentis fatalia tempora mundi  
Ordo Crucis fulgens trinus & unus erit.  
Arma feret Christi, Bellantes ante phalanges,  
Hospitij reliquis ante-ferendus ope;  
Innumeroquè Deo promer pia cantica Clero:  
Symbolon hoc Triados Staurifer Ordo dabit.

N.



N. S. Franciscus de Paula vaticinatus est in epistola, quam scripsit Anno Christi 1469. die 13. Augusti ad Simonem de Limena Dominum Montalti, quæ etiamnum ibidem asservatur, in qua sic ait: ex te o Simon descendet Fundator novæ Religionis, quæ tres habebit partes. Prima erit equitum armatorum, secunda Sacerdotum, tertia hospitalariorum. Erit hæc Religio omnium ultima, magnum fructum afferet Ecclesiæ, extinguet maledictam Mahometis sectam, quin & hæreses omnes, ut fiat unum ovile & unus pastor. In toto mundo non erunt nisi 12. reges; unus Imperator, & unus Pontifex, & pauci principes, qui omnes erunt sancti. Idem in alijs epistolis eundem Ordinem vocat Cruciferorum eò quòd in vexillis suis præferent imaginem Crucis, vel Christi Crucifixi, pro quo pugnabunt; cuique subijcient tam Mahometanos, quàm hæreticos, & prævios christianos. Atque hæc omnia a Deo sibi revelata ac certò eventura asseverat. Ita P. Lucas Montoya in Chron. ejusdem Ord. sub finem. Idemque annotavit Corn. a Lap. in fine Comm. Apocal.

SUB-



## SUBDIVISIO SECUNDA

Trinitas diversorum , ex rebus sacris ac  
moralibus conscripta ; & tridistichis ad  
mysterium Divinæ Trinitatis , vel ali-  
um pium sensum , accommodata.

## SYMBOLUM 1.

*Cruce formatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

**C**RUX Triadis virtute potens dum fronte renidet,  
De carne & mundo , de styge victor ovas.  
Lux tibi duxquè viæ, mentis sincera voluptas,  
Et Sol, sub Triadis nomine sola Salus.  
Cruce in fronte , decus diademate clarius omni,  
Ad Triadem certo tramite pandit iter.

*N. Initio cujusque operis se signare apud Christianos moris esse, testatur S. Hier. ad  
Euslo. Quasi dicatur, hoc fiat ad gloriam Dei, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus  
sancti. Quod facere, & consuescere in omni opere decet cultores SSS. Trinitatis.*

## SYMBOLUM 2.

*Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.*

**M**Ox ubi cœlestis, Trias agmina condidit, aulæ,  
Cantica Factori prima dedere suo.  
Primæ usquè Parens laudes ab origine fudit ;  
Postulat a totâ posteritate pares.

Glo-



Gloria sit Patri, Genito cum Pneumate semper,  
Debetur Triadi laus, decus, hymnus, honos.

N. Authores hujus hymni secundum substantiam sunt Angeli: eundem enim sensum præferunt, quem Trifegion, & Doxologia Angelorum, Isa. 6. Luc. 2. Secundum formam verborum, plurimi scriptores meminerunt summam cum laude S. Ignatij Mart. ut Authoris ab Angelis edocti, qui in suo choro Antiochiæ sic primo instituit, a quo ad alias Ecclesias dimanavit. Fuit autem ille Ignatius secundum aliquos, Felix ille & graciosus parvulus, de quo Christus Matt. 18: nisi efficiamini sicut parvulus iste. Vide etiam div. 1. subdiv. 1. symb. 67. & R. P. Jul. Mazar. conc. 103. & Corn. a Læp. in epist. Rom 34. circa finem.

### SYMBOLUM 3.

Tria debemus Deo

*Honorem Patri pro Creatione, Amorem Filio pro Redemptione,  
Gratiarum actionem Spiritui S. pro Sanctificatione.*

**A** Nobis merito summum sibi polcit honorem,  
E nihilo nobis qui dedit, Esse, Pa. er.  
Et nostro Genitus cordi figatur amore,  
Qui pendet, nostri fixus amore, Cruci.  
Quas referam grates, quas non tibi debeo laudes;  
Pneuma salutiferi fons & origo boni?

### SYMBOLUM 4.

Tria debemus Proximis.

*Obedientiam Superioribus, Concordiam Paribus, Beneficentiam  
Inferioribus.*

**P** Ræpositis pareto: Trias sic imperat; a quis  
Ille præest, cujus legibus, iste subest.  
Christi adum liget unanimes Concordia mentes,  
Jucundum est placidâ, cum pare, pace frui.



Diffimiles sibi forte iuret nummatus oenos ?  
Sunt tibi naturæ conditione pares.

## SYMBOLUM 5.

Tria debemus Nobis ipsis ,

*Munditiem cordi, custodiam ori, disciplinam carni*

**S**It cordis tibi perpetuo purgatio cordi,  
Danda cui Trini visio clara Dei.  
Te natura monet frenanda repagula linguæ,  
Quam duplici cinxit provida sepe Trias.  
Spiritus servire decet sine murmure carnem,  
Hunc penes imperium est : illa domanda flagris.

## SYMBOLUM 6.

*Tria media quibus puritas animæ comparatur, Baptismus, Eleemosyna, lacrymæ.*

**M**undities animæ baptismi fonte paratur,  
Vim fusi nobis unda Cruoris habet.  
Est placanda Trias, purganda piacula mentis,  
In miseros hilari munificæve manu.  
Sic mentes lacrymæ mundant, lamenta serenant,  
Phoebus ut a multo purior imbre, redit.

## SYMBOLUM 7.

*Vnum & Trinum baptisma*

**E**st Deus unus, & una fides, baptismus & unus,  
Effectus trinâ sub ratione datur.



Flamen seu votum, desit si fluminis unda,  
 Et Sanguis Triadis fusus amore, beat.  
 Sic Trias (a) averſæ purgat contagia mentis,  
 (b) Transfusam terno diluit imbre luem.

(a) Peccatum originale, & mortale actuale, est quadam averſio a Deo. (b) id est, originale, quod transfunditur in posteros per generationem.

## SYMBOLUM 8.

*Trina averſio in baptismo.*

**V**incitur stygijs natus (a) mox puſio loris,  
 Fitquè sub immani dæmone mancipium.

Exorcizato, pulſoque trifauce moloſſo,  
 Diluit infantis merſio trina caput.

Eripit hunc orco ſacri data gratia fontis,  
 Hæredemquè ſuæ vult Trias eſſe domûs.

(a) Summum SS. Trinit, myſterium in generatione hominis prius reſeratum eſt, ſed poſtea in ejuſdem regeneratione, puta in baptiſmo aperte declarandum & proſtendum.  
 Ex Corn. a Lap. in Gen. 1.

## SYMBOLUM 9.

*Tria vulnera naturæ lapſæ.*

*Hebetudo intellectûs, voluntatis rebellio, memoriæ imbecillitas.*

**S**unt tria naturæ ter maxima vulnera lapſæ  
 Vulnera corporeis deteriora malis.

Mens tenebris ſquallet, rationi adverſa voluntas,

Legibus adverſas pronior iræ vias.

Virtutum eraxæ ſpecies quot mentis ab arce?

Luce Trias læſis partibus affer opem,



## SYMBOLUM

10. *Trinitas a quâ homo excidit; Pater & Filius & Spiritus S.*

11. *Trinitas qua cecidit: Intellectus, memoria, voluntas.*

12. *Trinitas in quam cecidit: Ignorantia, impotentia, concupiscentia.*

13. *Trinitas per quam cadens resurgit; fides, spes, charitas. S. Bern. serm. de SSS. Trinit.*

**O** Felix Triadisquè capax ter nobile plasma,  
 Excidis a Trino siccine sponte Deo?  
 Mente æger, Virtutis inops, sitiensquè malorum,  
 Immutas triplex, in tria damna, bonum.  
 Ad Triadem reditur votis melioribus opta,  
 Spesquè fidesquè dabunt; uniet unus amor.

## SYMBOLUM 14.

Tres Authores mali,

*Lucifer, Eva, Adam.*

Tres Authores Boni

*Christus, Gabriel, Maria.*

**A** Tribus humanæ manant discrimina menti,  
 A tribus est homini conciliata salus.  
 Pulsus ab empyreis ad tartara sedibus Evam  
 Lucifer illecebris fascinat, Illa Virum.  
 A Christo tibi parva salus, Gabriele, Mariâ:  
 Hic patrat, & Gabriel nuntiat, Illa parit.

SYM



## SYMBOLUM 15.

Tria pessima.

*Anima peccatoris cum peccato perseverans, diabolus, infernus.**S. Aug. de salut. docum. cap. 48.***S**unt tria felici Triadis procul arce reposta,  
Haud reor in terris deteriora dari.Mente quid est pejus, proprio quæ devia motu,  
Lethiferi telo criminis icta jacet?Quid magis horrendum, quid dæmone tetrius usquam,  
Fingite tartareis asperiora rogis.

## SYMBOLUM 16.

Tria optima.

*Anima Sancti in bonis operibus perseverans, Angeli qui eam  
suscipiunt, Paradisus in quem ducitur. Aug. l. cit.***A**ngele qui constans in amore Tri-unius hæres  
Numinis, o quanta nobilitate micat!Mens humana caput tollet super omnia, fiet  
Peccati, Triados, libera labe, capax.Quot rutilant tua Trina Monas capitolia gemmis,  
Quot tua mellifluis affluit Aula bonis?

## SYMBOLUM 17.

*Tria quæ melius fieri nequeunt***E**n trias excellens operum quibus æqua creari,  
Nec majora queunt, nec meliora dari.(a) Unio divini sumpto cum corpore Verbi,  
Magna Parens, Sancto Pneumate foeta, Dei.

Quæ



Quæ desiderijs finem dabit unica nostris,  
Fine carens Trini Visio clara Dei.

N. His tribus, quia infinitam quandam præferunt dignitatem, ut docet Ang. D. S. Tho. meliora dari non possunt; Humanitate Filij, Dignitate Matris, Visione beatificâ. (a) Incarnatio Verbi, est miraculum miraculorum ait S. Tho. q. 6. de potentiâ art. 2.

## SYMBOLUM 18.

## Trinitas nos redimens

*Tria in Verbo Incarnato, Verbum, Anima, Caro.*

**S**upposito Veneranda Trias spectatur in uno,  
In Verbo, nostri quod fit (a) amore, Caro.  
Sumpta Caro, Deitas, est (b) Mens simul indita carni,  
(c) Compositum, triplex oufia, tale facit.

Lucifer, Eva, Adam, damnans trias, Altera Salvans;  
Personis Deitas en Tribus Una Beans.

(a) 1. Joan. (b) Quomodo in Christo ipso Incarnationis momento fuerit usus mentis vel rationis; & Actus meritorius oblationis sui, continuatus usque ad mortem, Vide apud DD. & D. Tho. 3. p. q. 34. (c) Quid jam in Unitate Essentia tres esse uiramus Personas? plures jam ex integro in unâ Personâ Naturas mirare. Gilb. serm. 2. in cantica.

## SYMBOLUM 19.

## Triplices Christi Actiones,

*Divinæ, Humanæ, The-anthropicæ.*

**A**ctio Divina est Divino Numine manans,  
(a) Qualis naturæ quæ superabat opus.  
Nascitur & vagit, lacrymatur, verbera suffert,  
Esurit atque sitit, ceu homo purus, edit.

Quidquid Homo simul atque Deus, vel passus & egit,  
(b) In Triadis summum cessit id omne Decus.



(a) Est descriptio miraculi ex S. Aug. lib. 26. cont. Faustum, cap. 3. Et sic trisariam secundum substantiam ut Incarnatio Verbi. Secundum subjectum ut illuminatio cæci. Secundum modum ut curatio infirmi sine medicamento vel processu, morâ &c. 1. p. q. 105. non tamen omnis actio divina est propria miraculum, si scilicet non sit præter solitam naturæ cursum. (b) Vide supra symb. 26. ubi diximus Trinitati per Christum hominem, omnem honorem deferri.

N. Quid quid infirmitatis legimus in Christo, id est, quod deservivit, doluit, mortem sustinuit, suscepto hoc pro salute nostrâ homini deputemus, salvâ illius, quod sustinuit, id est, Verbi Dei, reverentiâ. Ex S. Aug. serm. 8. de temp. alias tom 10 fol. 126.

## SYMBOLUM 20.

*Tria sunt anagrammaticè in Nomine Iesus græcè; id est latine, tu es ovis, Guil. Blancus Albienſis lib. de anagrammatismis.*

(a) **D**ebita solvantur, Divûm Pater intonat àxe;  
Æris & exacti mox fide-juſſor adest.

Labe carens agnus sortem miseratus acerbam,  
Pneumatis afflatu, victima factus, obit.

Proquè lupis ovis ista jacet, dat mortua vitam;

Dequè lupis fecit (sic ovat agnus) oves.

(a) Alluditur ad decretum Dei super redemptione humani generis: in quo, quia peccatum tam primi hominis, quàm Angelorum, Luciferi & consortium, specialiter contra Personam Verbi militavit, quod similitudo quam appetijt Lucifer, & scientia quam appetijt homo, tribuitur Filio: Pater zelans honorem Filij secundum iustitiam, pœnam exigit: Angelos e caelo, hominem e paradiso eiecit & morte damnat, Filius Verò, ut cognoscat mundus quia diligit Patrem, ne perderet proſus, quos condiderat Pater, satisfacere decrevit.

## SYMBOLUM 21.

*Tria beneficia Crucis Christi.*

**A**rbor in humanæ stirpis decerpta ruinam est,

(a) Alterius major gratia flore datur.

(b)



(b) Unicus, invexit mortem patientia, morsus;  
 Vita sed unius reddita morte redit.  
 Ipsa situ emergens Triadis clarescit imago,  
 Tres Crucis hi fructus, gloria, vita, salus.

(a) Majori gratiam nobis Deus contulit per Christum in natura lapsa, quam sine Christo in innocentia, quia virtute & merito Christi perveniunt homines ad tantam gratiam, ad quam nulla pura creatura in aureo illo primitivo statu pervenisset; sicut D. Virgo, S. Joan. Baptista, Apostoli &c. Vide Lab. verbo, Christi incarnatio prop. 3. (b) Vehementer nobis vir unicus & unica mulier nocere, sed gratias Deo, per unum nihilominus hominem & mulierem unam, omnia restaurantur non sine sanere gratiarum. Sic nimium prudentissimus Artifex quod quassatum fuerat non confregit, sed utilius refecit, ut novum hominem nobis formaret ex veteri Adam, & Evam resunderet in Mariam. S. Bern. in illud Apoc. 12. signum magnum apparuit in calo.

## SYMBOLUM 22.

Arbor Crucis nobilis super omnes alias arbores, fronde, flore, germine.

**G**ermine quàm felix arbor, quàm fronde decora!  
 Flore salutifero Crux, bona Malus, olet.

O dudum humanis sperata doloribus arbor!

In te purpureis lilia nexa rosas,

Tu paradisiacum superas miracula frugum,

Digna soli Malus tollere sola malum.

Vide de hac materia de Eufimio scribentem nostrum P. Godesfridum a Lüt Priorem Ventonensem in sacrif. Vesp. concione 33. item conc. 32. an tribus. vel quatuor clavus sit Christus Crucifixus, quod pulcherrimè tractat, de quo inferius.

## SYMBOLUM 23.

*Triplex Effectus gratiae.*

**Q**uâ traheris, quâ prima tibi data jura salutis,

(a) Crede nefas meritis attribuisse tuis.

Gratia, quòd gratis tribuantur dona, vocatur,

Velle movens urget, quòd benè fiat opus.

Justi.



Justitia hinc surgit, quo Cermine Gloria cœli  
Pullulat, hinc Triadis celsus aditur apex.

(a) Unde Celestinus Papa ad Episc. Gall. cap. 12. ex S. Aug. ait: Deus cum coronat nostra merita, quid aliud coronat, quam sua dona? vide etiam Conc. Trid. sess. 6. cap. 16.

SYMB. 24. de eodem

**H**Æc animis & mente sedens, hæc prævenit illam,  
Te Triadi gratum Gratia (a) sancta facit.

(b) Quâ sine nil operis recti, meritiquè parabis:

Quidquid ages, fatagas; hac sine non fat ages.

Illa parens esto. Quæ Filia? Gloria cœli:

(c) Gratia sit semen, Gloria, fructus erit.

(a) Id est: Sanctificans (b) Gratia est anima anima ait S. Aug. quodam loco. (c) stipendium peccati mors. Gratia autem Dei vita aterna, id est, finis & coronis gratia est, vita aterna. Lege Epist. Rom. 6. & Comment. ibid.

SYMBOLUM 25.

Tres viæ spiritualis vitæ

*Purgativa, Illuminativa, Unitiva. De quibus in Historijs.*

**I**ustus adit cœli gradibus subsellia ternis,

Atque vijs Triadi gaudet adesse tribus.

Purgat, quæ scædant animæ penetralia, sordes,

Inde salutiferæ lucis aditur iter.

Unitur Triadi tandem, vincitur & unâ

Mens hominis summo, tempus in omne, bono.

SYMB. 16. de eodem.

**Q**uisquis amat Triadis capitolia celsa subire,  
En via quæ triplici tramite monstrat iter.

Y

Prima



Prima domat motus animi, purgatque lituras;

Altera virtutum captat & aptat opes.

Tertia divino dum mens fervescit amore

(a) Hæret & in Domino, Spiritus unus erit.

[a] Qui adheret Domino, unus Spiritus est. Spiritus enim S. descendens personaliter in animam justam, ad Gal. 4. secum adducit ceteras Divinas Personas, utpote a quibus separari nequit. Et ideo tota Trinitas personaliter & substantialiter venit ad animam qua justificatur, & manet quamdiu in justitia perdurat.

SYMBOLUM 27.

Triplex visio SSS. Trinitatis.

Corporea, Ænigmatica, Beatifica. Ex Innoc. 3. serm. de omnibus SSS.

(a) **E** Minus hæc hominis par posteriora videnti,  
Sat scio quod sit homo, nescio quis sit homo.

Illa sub obscuris latitat velata figuris,

Prototypi sculpi qualis imago solet.

Tertia Laurigeram capit a certamine palmam

Quâ Triadem felix mens sine nube videt.

(a) Quod bene signatum est in Moyse qui posteriora Domini vidit, non faciem. Quia sicut homo versus a tergo, scitur quod sit homo, sed non quis; ita quod sit Deus, scimus, sed quis sit ipse, nescimus. Innoc. loc. cit.

SYMBOLUM 28.

Tres Proprietates animæ glorificatæ,

Cognitio, Dilectio, Delectatio, Ex Innoc. 3. serm. 2. de uno Mart.

**S**pes longo nimium tendit præcordia voto  
Et desiderijs anxia corda trahit.

Dence



Donec in aspectu Triadis mens fixa beati

Sit desiderijs exfatiata suis;

Vis animæ triplex cui si jungatur amore

(a) Quod speculetur amans, quove fruatur, habet,

[a] Sancti videntes facie ad faciem Trinitatem in unitate & unitatem in Trinitate, legentesque in Verbo vita, in quo sunt omnes thesauri sapientie, & scientia Dei absconditi. Unde procedit summa dilectio, per quam diligunt Deum. Ex totâ mente, id est memoria Patrem: ex toto corde, id est, intellectu Filium, ex tota anima, id est, voluntate Spiritum S. Ex hac summa dilectione nascitur ineffabilis delectatio, quam nec oculus vidit &c.

SYMBOLUM 29.

*Tres Aureolæ Sanctorum.*

**M**Acti animis pugiles, post bella manere coronas  
 Hoste triumphato Tres, super astra ratum est.  
 Dæmona Confessor subigat, Martyrque tyrannis  
 Insulter, Carnem Casta Virago domet.  
 Da Fili carnem, Pater exuperare tyrannos,  
 Spirituumque chaos Spiritus alme fuga.

SYMEOLUM 30.

*Tres Virtutes Theologicæ*

**A**D Triadem te vera Fides, Spes firma movebit,  
 Non tamen attinges, te nisi jungat Amor.  
 Ista basis, Spes, murus erit, qui celsus in astra  
 Surgit Amor fusos, perlecat, ære, polos.  
 Esto Fides arcus, Spes missa umbone sagitta;  
 At Triadem, solus cuspide figit Amor.

N. Trifariam Virtutes Theologicæ versantur circa Deum: Fides circa Deum ut testificans Verum. Charitas circa Deum ut est in se summè Bonus: Spes circa Deum, ut est nobis summè Bonus, vel beatitudo ac ultimus finis.



## SYMBOLUM 31.

*Triples Iustitia seu tripliciter accepta.*

**C**ongeriem morum, species complectitur omnes  
Virtutum, primo nomine, Iustitia.

Altera cuiquè suum reddendi prona voluntas :

(a) Tertia sit Triados jure timendâ reis.

Postremam placidis Pietas moderatur habenis,

Quæ tenet imperij plus ; Rigor ipse, minùs.

[a] *Lege de Triplici Iustitia Dei in hac subdiv. symbolum ultimum,*

## SYMBOLUM 32.

*Tria Evangelica consilia, seu vota Religiosorum.*

**S**i qua placet summæ Triadi super-eminet omnes  
Votorum, in Sancta Relligione, trias.

Arctiùs unitur Triadi submissa voluntas,

Castra placet Superis Virginitate caro.

Libera paupertas nummorum pondere, mentem.

Liberiùs Triadis culmen adire facit.

*Tria sunt inquit noster Pincharius, qua Religiosus tenetur resignare in professione, Res, corpus & anima, Res per paupertatem, corpus per castitatem, animam ac voluntatem per obedientiam. Vide infra symb. 74.*

## SYMBOLUM 33.

Tria Angeli Custodis in nos officia.

1. Custodire & ducere in viâ vitæ, ut viatores.

2. Orationes & actus nostros Deo offerre nosque juvare ut cultores Dei.

3. Nos contra adversa defendere, ut milites. Ex Verid. Christ.

**M**ille viatores abducant avia : (a) custos  
Angelus est vitæ, ductor eritquè viæ.

Ac



Actus, thura precum defert, ac laudis odores  
 Digna sit excelso fac ut acerra Deo.  
 Miles es, esto vigil, semper qui devoret hostis  
 Circuit, hic addet viribus arma tuis.

[a] Cuiuslibet fidei, regno, provincia, diocesi civitati, persone publica, prater eum, quem in privata persona abortu natiuitatis sue habet; cuiuslibet parochie, Religiosi ordini, confraternitati, Ecclesie, monasterio, seminario &c. Angelum custodem a Deo deputari docent Theologi 1. p. q. 113. a. 4.

## SYMBOLUM 34.

Tres Angelorum Hierarchiæ, & in qualibet Tres Ordines.  
*Suprema, Media, Infima. Et Tria Officia.*

N. Hierarchia dicitur Sacer Principatus, seu multitudo Sacrorum Principum ordinata.

**A** Ligerum cœlo (a) triplex Hierarchia fulget,  
 In Triadis laudes [b] additus Ordo triplex.

Est vicina Prior Triadi, super-eminet omnes:

Altera quæ medijs gaudet amena Choris.

[c] Infima terrigenum præsto curare salutem,

Non tamen a Triadis fronte beante vacat.

[a] Ordo Hierarchiarum desumitur a D. Tho. & alijs juxta magis & minus universalem seu Deo propinquam similemque cognitionem: Supremi enim Deo proximi ob ipso Universalissimo Increato Principio immediate illuminati, rerum cognitionem recipiunt. Hi, sequentes Illuminant, & a nescientia purgant per species minus universales, & causas creatas. Isti Infimos Perficiunt, tribuenda cognitionem rerum non cognitarum, per causas particulares ac proprias, speciesque non tam universales ut cetera sunt. Vide 1. p. q. 106. (b) Quelibet multitudo Perfecta, qualis est Angelorum Hierarchia, reducitur ad Ternarium: Principium, Medium, Finem: & ideo Tres sunt Ordines in qualibet Hierarchia. D. Tho. 1. p. q. 108. art. 2. [a] Ad infimum Ordinem Angelorum pertinet assistere hominibus, ut persone particulares sunt. Ut verò communes sunt, vel Capita, etiam ad Alios. Ita docet S. Tho. 1. p. q. 113. art. 3.

SYM-



## SYMBOLUM 35.

Triplex cognitio Angelorum.

*Quam Theologi, vocant Matutinam, Vespertinam, Meridianam. D. Tho. 1. p. q. 58. art. 6. & 7. ex S. Aug. lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 22. & 23.*

**Q**uam benè Mens Tri-potens cœli sub origine, trinâ Pennigerûm mentes cognitione beat?

- (a) In Verbo ut speculo seu Patris Imagine, rerum Grande creatarum mox speculantur opus.  
 (b) Deinde datum res, per proprias cognoscere formas,  
 (c) Tertia dos, Trinum ac summa, videre Deum.

[a] Matutina [b] Vespertina quia obscurior est prima [c] Meridiana, est illa beatifica,

## SYMBOLUM 36.

Tres cultus.

*Latria, Hyperdulia, Dulia*

**P**ro meritis dum cuiquè sui tribuuntur honores,  
 Nempè gradus fertis ordoquè certus, inest.  
 Sola Trias summo cultu decoranda Latriæ,

- (a) Virgineæ Matri debitus alter Honoꝝ.  
 Tertius Aligeris tribuatur cultus, & astris  
 Quotquot Pontificum calculus inseruit.

*Vide D. Tho. 3. p. q. 25. art. 2. ad 1.*

*Hyperdulia humanitati Christi, ut concipitur separata a Verbo, etiam tribuitur exhibetur autem propter singularem rationem conjunctionis vel affinitatis cum Deo. Ferrinus de hoc lege Doctores, apud D. Tho. l. Cit.*



## SYMBOLUM 37.

*Triplex Ecclesia sub uno Capite Christi.*

**U**Na tribus distincta locis Ecclesia constat,  
 Quæ Triadis, triplex unaquæ, signa gerit.  
 Mutat hæc terris, [a] trinoquæ urgetur ab hoste,  
 [b] Altera quæ nævos expiat igne suos.  
 Tercia cum Trino celebrat convivia Sponso,  
 Inquæ triumphali confidet alta throno.

[a] Vide sequens symb. de 3. hostibus, [b] Scil. in purgatorio.

## SYMBOLUM 38.

*Tres præcipui hostes Ecclesiæ ac SSS. Trinitatis. Iudæi, Paganii, Hæretici.*

**N**Ec Triadi desunt noti tres nominis hostes,  
 Quos velit imbutos cognitione sui.

Hebræi, celebris durâ cervice popellus

Geniq; laboratos quæ colit arte deos.

Hæresis Ario quot non, duce, fulmina vibras,

At strato victrix permanet hoste Trias.

## SYMBOLUM 39.

*Tres Notæ Apostolicæ Ecclesiæ.**Vna, Sancta, Catholica*

**Q**ui cupit a verâ falsam purare monetam,

Tres notet in verâ Relligione notas.

Sancta sit, & concors in dogmate, Fusa per orbem,

Una sit, ac Unum noscat in orbe Caput.

Ista



Ista Fides, unâ, longis erroribus actos  
Ad Triadem ducit, ceu Ariadna, fide.

## SYMBOLUM 40.

Tria potissimum Ecclesia postulat a Deo.  
*Sancta Desideria, Recta consilia, Iusta Opera.*

**E**st Sanctum Desiderium, quod in arbore radix,  
E Triadis Gremio cujus origo fuit.  
Est Triadis munus Recta inspirare salutis

Consilia, hinc mentes, quò moveantur, habent.

[a] Unde fluunt, illuc rapiuntur flumina: Iusti  
Principium est Operis, terminus estque Trias.

[a] Ecclesiasta 1. capite.

## SYMBOLUM 41.

Pro Tribus potissimum oratur.

*Exaltatione S. Ecclesiæ, Vnionem Principum, Exstirpatione  
hæresum.*

**P**astor oves in pascua avens perducere cœli,  
In terris unum fiat Ovile cupit.

Postulat unitos concordie fœdere Reges,

A grege raptores optat abesse lupos.

Pace datâ grex Christi assurgat, ut Una

Culta foret cœlo, culta Triasquè solo.

## SYMBOLUM 42.

*Tres status in Ecclesiâ: Laicorum, Ecclesiasticorum, Religioso-  
rum. Totidem continentia Conjugum, Viduarum, & virginum.*

**I**n cœlis Triadi Triplex Hierarchia laudes  
Concinit, in terris accinit Ordo triplex.

Con-



Conjugij socialis amor sua carmina promit,  
Et consorte thori dat viduatus amor.

(a) Ter-castę Triadi grati modulatur amoris  
Cantica liligeri candidus ordo chori.

(a) Vide qua diximus pag. 61. in additione symb. 13.

SYMB. de eodem.

**D** Elicijs spretis prostratâ cypride, mentem  
Exigit intactam, virginitatis honos.

Stat viduis, junctisque thoro sua gloria victæ  
Carnis, at intactâ virginitate minor.

Donâ pudicitie tria dat Trias una petenti,

Carne dat edomitâ, vivere mente, Deo.

SYMBOLUM 44.

*Tres colores in scapulari Confraternitatis SSS. Trinit. Albus,  
Ceruleus, Ruber.*

**D** Enotat intinctus, candor, princepsque colorum,  
A nullo genitum principiumque Patrem,

Reddidit innumero liventem vulnere Natum

Unigenam Patris, livor, apella, tuus.

Thuricremos nostris inspirans mentibus ignes,

Purpureo sacrum Pncuma colore rubet.

SYMBOLUM 45.

*Triplex corona in Mitrâ Romani Pontificis.*

**R** Oma vides Patrem terris ereboque verendum,

Augustâ ut Triadis symbola fronte gerit.

Z

Sum.



Summa triplex uni terris concessa potestas,  
 Ter geminum cingit cui diadema caput.  
 Pascit oves, agnosquæ fovens secernit ab hædis,  
 Tollere sollicitus pastorin astra gregem.

## SYMBOLUM 46.

*Tres Coronæ Romani Imperatoris, quibus olim in tribus civitatibus coronabatur. Comment. Bull. aur. et alijs.*

**F**errea prima datur ferro quia fortè paranda,  
 Aut subeundus erit ferreus antè labor.

(a) Altera succedit melior Candore Metalli,

(b) Terna magis fulvo tincta Colore placet.

Hoc decus unde triplex? venit a Tri-coronide, Cæsar,  
 Majestate, tuis trina corona comis.

*Lege Guil. Beck in Hist. Aquensi. (a) secunda Argentea. (b) Tertia aurea.*

## SYMBOLUM 47.

*Episcopus a tribus alijs Episcopis consecratus, donatur Mitra, Infula, Pædo.*

**A** Triplici Antistes sacratur Præsule, summæ  
 Quo Triadi summus conciliatur honos.

Mitra caput decorans Patrem sub imagine signat,

Infula sub carnis veste latere Deum,

Spiritus in formâ flammæ, nivæquæ columbæ,

Eminet aurato Præsulis ipse pædo.

## SYMBOLUM 48.

*Tres præcipuè honorandi, Deus, Præceptor, Parentes.*

**T**res sunt quos homini venerari convenit omni,  
 Nempè Deus, Doctor pubis, uterquæ parens.

(a)



(a) Hi velut authores nobis dant esse ; dat iste  
 Esse benè, omnipotens dat bona cuncta Deus.  
 Supremam Triadem tribus hic agnosce notatam,  
 Cui cœli ac terræ competit omnis honos.

(a) Scil. parentes.

SYMBOLUM 49.

*Tria Sabbata sive dies quietis.*

**S** Purcæ cur Veneri sacrant sua Sabbatha Turcæ ?  
 Hisce Venus cordi est, chara petulca caro.  
 Sabbatha cesserunt coluit quæ vilis Apella,  
 Exorto ut soli nox tenebræquè solent.  
 Alma dies solis Triadi sacrata renidet,  
 Cede Venus foli, cede Jovisquè pater.

N. Tria sunt alia Sabbata juxta Innoc. 3. in 3. psal. pœnit Temporale de quo Joan. 3. Spirituale de quo Heb. 4. Æternale quod est cognitio dilectio & fructio suaviss. Trinit.

SYMBOLUM 50.

*Tria sacrificia triplicis legis.*

**P** Primævæ, mediæquè quadrat sua victima legi,  
 Christiadûm legem Sanctior ara decet.  
 Naturæ & Moyfis, speciesquè typique fuere ;  
 Hæcce cruoris erant, ista cruore vacant.  
 Hostia nunc superest, quâ manat gratia, placans  
 Una unum, trino grata placensquè Deo.

N. Tria sunt moralia sacrificia apud Bern. in sent, videlicet. pia contritio, digna operatio, debita gratiarum actio.



## SYMBOLUM 51.

*Tres figuræ celebriores S Eucharistiæ Manna, agnus, sanguis.*

**M**ysterarum meliora parant con vivia dextre,  
 Quam ros, aligerum daps fabricata manu.  
 Purior igne agnus, tollens animæque lituras  
 Sumitur, & quovis purior amne cruor.  
 Pura petit puras, Sanctas Sanctissima mentes  
 Hostia: nam trino (a) consociata Deo.

(a) Sylvius 3. p. q. 76. a. 1. dicit, Patrem & Spiritum S. esse in Eucharistiâ per concomitantiam mediatam: non quia terminaverint unionem hypostaticam sicut Filius; sed sicut ratione unionis factum est, ut speciali aliquo modo sint in Christi humanitate, in quâ specialiter operantur, & quam Verbo unitam tota Trinitas conservat, & ad operandum dirigit: ita ratione ejusdem unionis peculiariter ibi sunt pater & Spiritus S., ubi est Verbum, Verbiq; Divinitas, cum sint inseparabiles. Ita syl. & scholasticus.

## SYMBOLUM 52.

*Eucharistiâ, sicut omnia alia Sacramenta, tria significat, passionem Christi præteritam ut causam meritoriam & efficientem; gratiam præsentem ut causam formalem; gloriam futuram ut causam finalem.*

**Q**uanta ter angusto vis condita Sacramento?  
 Farre sub angusto res latet eximia.

Mnemosynon passî, quâ mens ignescit amore  
 Gratia; sola (a) soli, gloria summa poli.

Arrha subest Triadis, Divini pignus (b) amoris;  
 Viva salutiferas Hostia condit opes.

(a) Ut terra nobis sit calum facit hoc mysterium, sicut enim in calis ita in terra regium corpus tibi videndum proponitur, dicit S. Chrys. [b] Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut Filij Dei nominemur & simus. Sicut ergo Deus habet in cibum vitæ suæ cibum qui per essentiam est Deus, sic homo participare debuit cibum divinum. Lab.

SYM-



## SYMBOLUM 53.

*Sacrificium missæ tria potissimum mysteria ante & post consecrationem repræsentat, scil. Christi Passionem, Resurrectionem, Ascensionem.*

**V**ictima purpureis quæ fluxerat undiquè rivis,  
Hanc non effuso Missæ Cruore refert.  
In lætos conversa canit tormenta triumphos,  
In lucem tenebras, in decus opprobrium.  
Quodquè redux patrias Natus concenderit arces  
Ut referat Patri, parta trophæa, suo.

## SYMBOLUM 54.

*In principio missæ Sacerdos dicit ter mea culpa.*

**M**ysta Deo sacros supplex orsurus honores,  
Ter culpam geminat, pectora terquè (a) ferit.  
Est offensa triplex cordisve, operisve, vel oris,  
Quæ triplici pœnâ fortè pianda foret.  
Ergo ter admissio veniam pro crimine poscit:  
Læsa Trias trinâ concilianda vice est.

[a] In Percussione pectoris tria sunt inquit Innoc. 3. myst. mis. cap. 13. ictus, sonus, & tactus. Per qua signantur illa tria, quæ sunt in vera penitentia necessaria, videlicet cordis contritio, oris confessio, operis satisfactio. Nam sicut tribus modis peccamus, corde cogitando, ore loquendo et opere perpetrando, ita tribus modis penitere debemus et Deum placare, scilicet corde Patrem per dolorem, ore Filium per pudorem, opere Spiritum S. per laboris calorem.

## SYMBOLUM 55.

*Ter Kyrie, ter Christe, iterum ter Kyrie eleyson.*

**T**er petitur summi primùm miseratio Patris,  
Hostia quàm cælo plena tremore datur.

Spo



Sponte ter oblatis sequitur miseratio Nati,  
 Mystra parem tantis se negat esse sacris.  
 Terquè iterum petitur miseratio Pneumatis almi:  
 Nam Triadis summæ est, hoc pietatis opus.

*Quæ hic strictim diximus, pulchrè & fuse pertactat Innoc. lib. 2. myst. miss. cap. 19.  
 Symbolum ter Sanctus vide supra divis. 1. pag. 38.*

## SYMBOLUM 36.

*Ter, agnus Dei.*

**L**abe carens agnus, vitro qui purior omni,  
 Sustulit in ligno, quæ toleranda forent.  
 Judicis ad dextram mundi post fata locandos  
 Ex rabidis agnos efficit ipse lupis.

Offertur Triadi Sacras tractandus ad aras,  
 Amissas (a) humeris qui tulit agnus oves.

[a] *Vide infra subd. 3, symb. 4. quare Christus depingatur agnus in humeris portans*

## SYMBOLUM 57.

*Ter, Domine non sum dignus.*

**O** Summi ter summa Dei submissio, Tene  
 Suscipiam quem non sustinet aula poli?  
 Quisnam se tanto reputaverit hospite dignum;  
 Seu e cælituum terrigenumve choro?

Presbyter indignum se terquè quaterquè fatetur,  
 An quia (a) tota Trias farris in orbe latet?

[a] *Vide supra symb. 53.*



## SYMBOLUM 58.

*Trina benedictio formatur ante consecrationem hisce verbis: Hostia benedicta, adscripta, rata.*

**I**udicis ad dextram benedictos sacra locabit

Hostia, nam tales ter benedicta, facit.

Inserit hos astris, hinc jure adscripta vocatur,

Adscribens vitæ nomina lecta libro.

Ter benedicenda est sacratis hostia verbis,

Quò fiat Triadi victima grata, rata.

## SYMBOLUM 59.

*Item trina benedictio post consecrationem hisce verbis: Per Deum vivum, verum, Sanctum.*

**P**er vivum æternumquè datur benedictio Patrem,

Quo, semper vitæ fons, operante, fluit.

Per verum, Verbumquè, Patris quod gignitur ore,

Quo liquidum est gestis vera subesse sacris.

Per Sanctum, gratos animis qui depluit imbres;

Nomina, sub Triadis Numine, pondus habent.

N. omnes ferè cærimoniarum missæ, trinitate constant, & ideo hoc sacros. Mysterium insinuant, ut oscula altarium, efformationes crucis, thurificatio &c.

## SYMBOLUM 60.

*Tres hostiæ consecratæ sunt optima imago SSS. Trinit.*

**E**N Triados vivis expressa coloribus icon,

Hostia quæ verbis condita trina sacris.

Orbiculos farris ternos supponimus, unum

In ter distincto farre, verè Deum.

Per-



Personas Triadis pariter tres esse fatemur,  
Credimus aut unum Numen inesse tribus.

## SYMBOLUM 61.

*Sacerdos frangit Hostiam vel potius species Sacramentales in tres partes; & pacem, ter signum Crucis efficiendo, precatur.*

**C**orpore non tacto ter (a) frangitur Hostia, Christū,  
Tormentis fractum, scissio trina, notat.  
Diūs amor, sincera fides erat exul ab orbe,  
Fractaque terrenæ fœdera pacis erant.  
Presbyter hinc unà pacem ter parte precatur,  
Unio per Triadis conciliatur opem.

[A] Frangit sacerdos hostiam ut in fractione panis Dominum cognoscamus; sicut illi duo discipuli in Emaus. Commixtio panis & vini designat unionem carnis & animæ Christi, in resurrectione unitæ. Et ideo ter signum crucis super calicem producitur cum hostiâ, quia virtus Trinitatis univiam Crucifixi reduxit ad carnem. Innoc. III. myst. lib. 5. cap. 2.

## SYMBOLUM 62.

*Sacrificium Missæ ut sit omnibus suis partibus perfectum, tribus absolvitur, Consecratione, Oblatione, Sumptione.*

**M**unera quo Triadi fiant accepta Supremæ,  
Consecrat ore prius, mysta deinde litat.  
Quæ Triadis virtute vices, Substantia, panis  
Supplet eâ sumptâ sumitur ipsa Trias.  
Sic ter adorandæ Triadis defertur honori  
Hostia, quam trinum nobilitavit opus.

N. Sumptionem triplicem esse. Sacramentalem tantum ab indignis, Spiritualem tantum, voto in fide & charitate. Sacramentalem & Spiritualem simul se ipsâ & dignè.

SYM-



## SYMBOLUM 63.

Tres actus pœnitentiæ.

*Contritio, Confessio, Satisfactio.*

**Q**uisquis es æterni transgressus iussa Parentis,  
Jam procul a Triadis limine pulsus abes.

Contrito properes & amaro corde reverti,

Criminis admissi te fateare Reum.

Facque satis-Triadi, cuius te gratia cœlis

Inferet, & lectas asseret inter oves.

N. Tres species pœnitentiæ: simulatoria & infructuosa cuius exemplum in Esau & Saul; desperata & crudelis, ut in Cain & Juda; consummata & utilis, sicut in Maria & Zachæo. Bern. in sent.

## SYMBOLUM 64.

*Tria in omnibus Sacramentis, Materia, Forma, Minister.*

**A** Semper manante petunt bonitatis Abyssus

(a) Terna quaterna suum, sacra fluenta, caput.

Materies adsit, verborum certaquæ forma,

Perficit his sacrum præsto minister opus.

Pro Patre materiam, pro verbis accipe Verbum,

Hos velut unito corde coronat Amor.

[a] Id est, 7. Sacramenta. Quorum Author Deus est. Humanitæ Christi, est causa instrumentalis primaria, seu conjuncta, ut Theologi vocant. Ministri instrumenta separata.

## SYMBOLUM 65.

*Tres clavi Dominicæ Crucis. Et tria ligna ejusdem.*

**E**N tribus articulis, terræ qui pondera librat,

Confixum clavis tot Crucis arbor habet.

Viribus inferior rupit tria vincula Sampson,

At citiùs clavos solvere Christe vales.

A a

Fixus



Fixus amore mei persistis, Christe, vicissim  
 Fac ut amore tui me tibi figat amor.

N. Noster Godef. a Lit de pass. Dom. conc. 32. solidissimè probat tum au-  
 thoritate Patrum, tum antiquitate picturarum & traditione Ecclesiæ, qua-  
 tuor fuisse clavos quibus immaculata Christi vestigia (ut loquitur S. Aug.)  
 Cruci confixa: & Crucem tribus constitisse lignis, uno oblongo, altero  
 transverso, tertio affixo ad partem inferiorem, in quo duobus clavibus sacra  
 plantæ sunt terebratæ.

## SYMBOLUM 66.

Tres Modi formandæ Crucis.

*Vel integrâ manu seu quinque digitis in memoriam quinquè  
 vulnerum Christi. Vel tribus digitis ad significandum SSS.  
 Trinitatis Mysterium. Vel uno digito tribus locis: in capite  
 quo designatur Pater: ore quo Filius: pectore quo Spiritus S.  
 Ioan. Boderus Conc. 18. super 1. præcept. Decal.*

**S**I quandoque Crucem digitis formavero quinis,  
 Jam memoro Domini Vulnera quinq; mei.  
 Si Crucis hoc signum digitis Effinxero (a) ternis,  
 Supremæ Triadis me meminisse decet.

Debita Frons Patri; digito si finxeris uno,  
 Os Verbo: sedem, Pectus, Amoris habet.

(a) Innocentius. 3. lib. 2. Myst. Miss. cap. 42.

## SYMBOLUM 67.

*Tres pulsus campanæ ad indulgentias, ac trino tempore, mane,  
 meridie, vespere.*

**S**Ive diem croceis revehas elate quadrigis,  
 Seu caput hesperijs Cinthie mergis aquis;

(a)



(2) Sive pari spatio medius distabis utrimque,  
 Ter resonare sacris percipis æra locis.  
 Si Trias æra tibi laudes clangore profundunt,  
 Nostra magis par est ora sonare tuas.

[a] In Ordine S. Crucis in meridie quinque dantur ictus in memoriam 5. Christi vulnerum.

## SYMBOLUM 68.

*Tres nocturni, tres benedictiones, tres lectiones in quolibet nocturno*

**D**iscute divinas nocturni temporis horas,  
 Concinit alternis quas pia turma choris.  
 Omnia respirant Triadem; benedictio triplex,  
 Nocturno triplici, lectio trina comes.  
 Credibile (a) Aligeris Triados præconia turmis  
 Cantari numero consimilique metro.

[a] Docet Damasc. tract. de Trifagio a Seraphinis Isa. 6. Ecclesiam didicisse Chorum, id est, modum alternis canendi & psallendi.

## SYMBOLUM 69.

*Tres psalmi in horis Beatissimæ Mariæ Virg. & omnia alia  
 tria in eisdem.*

**Q**ui legis intactæ cultor pie Virginis horas,  
 Psalmorum celebres ordine cerne trium.  
 Principio tres versiculos complectitur hymnus;  
 Et te magna Parens lectio terna beat.  
 Nempè ter Augustæ Triadi jam proxima, primus  
 Est tibi post illam persolüendus (a) honos.

[a] Funde frequenter Ave Matri, que liberat a Va &c. Et post: ut proxima Deo, Dei mater est, gloriosa illa Virgo, sic proximas illi deferemus, inquit Doctiss. Pinchavius lib. 3. cap. 1. Simul est genitrix, Filia, sponsa Dei, ac proinde non dulcia sed hyperdulcia ab hominibus & Angelis colenda Corn. a Lap. in Isa. 7. Quod poeta fingit in sua pandora, hoc verè & a parte rei præstitit Mariæ Trinitas divina. Labata in Maria.

SYM-



## SYMBOLUM 70.

*Triplex attentio in horis & precibus, actualis, virtualis, habitualis.*

**U**T constet Triadis persolvi laudibus horas,  
 (a) Plura precum Sanctus continet ordo tria.  
 Observanda triplex attentio: dicitur actus  
 Optima, quod peragis si mediteris, opus.  
 Altera sufficiens, actus virtute prioris;  
 Quæ dicta est habitus, non (b) satis-ista-facit.

[a] Ut videre est symbolis precedentibus. [b] Non vox sed votum, non musica chordata sed cor. Non clamans sed amans cantat in aure Dei. Pinch. l. 3. c. 1.

## SYMBOLUM 71.

*Tria rosarij mysteria.*

*Gaudiosum, Dolorosum, Gloriosum.*

**G**Audia quæ nascens mœsto Deus intulit orbi,  
 Dum lego, ceu totidem lilia, nonne lego?  
 Cum subeunt Luctus; insonte cruore rubentes,  
 Spinisque horrendas, quid nisi carpo, rosas?  
 Inde Triumphantis cum Nato gloria Matris.  
 Sint Trias hæc laudi ter repetita tuæ.

## SYMBOLUM 72.

*Rosarium turcicum trium decadum & trium globulorum, quod  
 Tespe vocant, in quo certas precatiunculas legentes pia veterum  
 Christianorum rosaria imitari vel potius depravare jam olim  
 ceperunt. Ita Thom. Saill. in thes. litaniarum ac precum.*

**Q**Uod premitur Turcis, damnati rector averni  
 Legibus imperium mancipat omne suis.



In pia Christiadum livore rosaria frendens,  
Tres decades docuit, tres globulosque dedit.

(a) Simius ille Dei est: hoc sine tenebrio nonne  
Mentitur Trino velle placere Deo?

(a) Diabolus, inquit Tertull. Dei opt. Max. Simia est.

SYMBOLUM 73.

*Tria in oratione petenda. Peccatorum præteritorum medela,  
præsentium tutela, futurorum cautela. Ita N. P. Pincha-  
rius orn. animæ lib. 3. cap. 1.*

**G**Rata precatores superis holocausta daturi,  
(a) Hæc tria, quæ mentis sunt alimenta, petant.  
Vulneribus, quæ corda necant, quærenda medela est,

Tutelæ præfens actio poscat opem;  
Provida post adsit pesti cautela futuræ:

Hæc dux ad Triadem norma precantis erit.

(a) Debitam ordinatumque modum orandi ab exemplo Christi glossa præfigit in illud Matt.  
26. & oravit tertio eundem Sermonem. Tribus vicibus, inquit, oravit, ut & nos a  
præteritis peccatis veniam, & a præsentibus malis tutelam, & a futuris periculis caute-  
lam oremus. Ita dictus Pater L. cit.

SYMBOLUM 74.

Tria decent Religiosum,

*Pauca loqui, paucos habere familiares, multum orare. S. Bo-  
nav. in spec. disc.*

**Q**Uæ tribus obstrictum votis sit forma regendi  
A Bonaventura quam bona norma venit?  
Pauca docet fari, paucisque sodalibus uti,  
Esse solent magni damna sodalitijs.

Oran



Orandi studium decet esse frequentius : ad sis  
 Crebrius ut Triadi, quæ tibi semper (a) adest.

[a] Ipsa quidem Trinitas omnibus adest : tunc autem & nos ipsi adsumus, cum ipsam invocamus castissimis orationibus & revelatâ mente &c. Ita noster Pincharius de triplici statu devota anima lib. 3. in initio ex D. Dion. lib. 3. de divinis nominibus.

## SYMBOLUM 75.

Tria commoda ex silentio.

*Malorum evitatio, bonorum procuratio, sapientiæ æstimatio.*

**Q**uantorum sit lingua tacens cautela malorum,  
 Mille licet linguis vix numerare queas.

Quis numeret cumulos quæ congerit ipsa bonorum ?

Causa bonæ famæ mater honoris erit.

Stulte taces ? multis sapiens reputabere : disce

Verba negans homini (a) cor referare Deo.

[a] Dum strepitus humani cessat alloquij, construitur in te per silentium templum spiritus S. Pet. Damiani epist. 130. ad Agnetem Imper.

## SYMBOLUM 76.

*Tria quæ in locutione præcipue sunt observanda juxta Reverendissimum P. Petrum Pincharium, scil. Tarditas, Circumspectio, Brevitas. Vestis nupt. lib. 2. cap. 14.*

**G**Rata sit effrenis triplex moderatio linguæ : (rens.  
 Hæc tibi Staurophorûm dat documenta (a) Pa-

(b) Non sis festinus, præceps, ut tardus ad iram ;

(c) Sis circumspectus, quidve loquere, vide.

(d) Sis brevis ut sapiens, stultus sua verba profundat :

Moribus his, Triadi, terrigenisque places.

[a] Id est Magister Generalis Ord. S. Crucis. [b] Juxta illud Eccl. loquere adolescens in causâ tuâ vix cum necesse fuerit. [c] Juxta id, disponens sermones suos in judicio puta discretionis. [d] Eccl. 2. Cor stultorum in ore ipsorum, os autem Sapientum in corde ipsorum. Ita Pincharius.



## SYMBOLUM 78.

*Tria S.S.S. designant communiter ter sanctus de quo supra pag.*

38. *Hic sunt signa, quibus perspicitur, an in monasterijs disciplina vigeat, vel non; conformiter illis tribus, quæ scribit Corn. a lap. solerter observata a S. Ignatio in Isa. 30. v. 15. quæ sunt quasi virgulæ vietæ colligantes vasis circulū.*

*Vt vas conseruetur.*

*Silentium seu non strepitus, clamores, fabulæ &c.*

*Sera id est clausura portæ &c. sedulitas in decore domus, studio, labore &c.*

**L** Ojoides prius armorum clarissimus usu,

At magis in sanctâ Relligione sagax.

Sedulus inculcat servanda silentia (a) strictè,

Clave fores clausas, munditiemque probat.

Hæc tria cænobij reputes insignia culti,

Hæc tria sunt Trino symbola grata Deo.

(a) *Scribitur in vitâ S. Bern. lib. 1. cap. 7. quod in Clarevallensi Monasterio sub ipso, tanta silentij cura fuerit, ut media die media noctis silentium a supervenientibus inveniretur, & nihil præter laborum sonitus, vel si fratres laudibus Dei occuparentur, audiretur. Quod maximam famam & reverentiam apud sæculares causabat.*

## SYMBOLUM 79.

*Tria sunt quæ Religiosus per professionem suam resignat &*

*Deo offert, scil. res, corpus, & animam. Ex Pinchario*

*Vest. Nupt. lib. 2. cap. 2.*

**C** Orpus, opes, animam Triados tria dona reponis

Ante ter augustos Relligiose pedes.

(a) *Æquat Martyrium brevius, maceratio jugis,*

*Majus adhuc animæ ponere frena suæ.*

Quot



Quot Trias in cælo texat perpende corollas ;  
Pauperie fluxas abijce (b) lætus opes.

(a) Martyrium exigui temporis pena, & effusio sanguinis est, talis autem abrenuntiatio, continua quasi carnificina, & sui ipsius, suorumque omnium delectabilium profusio juxta illud: propter te mortificamur totâ die estimati sumus sicut oves occisionis. (b) Non sicut ille cui cum suorum bonorum abdicatio consuleretur abijt tristis, eò quòd haberet multas possessiones. Matt. 19. Sed

Felix qui potuit fallacem spernere mundum,

Vivere qui potuit cum cellâ, codice, claustro. Vide Pinchar. Vest. Nupt. l. 2. cap. 14.

### SYMBOLUM 80.

*Triplex motivum ad humilitatem juxta Bern. cogitando quid fuerimus, quid simus, quid erimus.*

**A**ntè quid? & quid nunc? quid postea? sperma fuisti,  
Clausus adhuc utero foetor & horror eras.

Sed modò nec melior: nam sordens stercoris es vas,  
Post modicum pulvis, vermis, & esca putris.

Ergo oriens, vivens, moriens adscribe Tri-uni,

Quidquid habes, gigni, quod fluit esse, mori.

*Vide unde veneris & erubescere; ubi es, & ingemisce; quò vadis & contremisce. In sordibus generamur, in tenebris conforemur, in doloribus parturimur, nudi egredimur, & ploratu vivere incipimus: pulvis tamen sumus, & in pulverem revertemur. Quomodo superbire quispiam ausus fuerit? &c. Ambula ergo per Christi humilitatem, ut venias ad ejus aternitatem: Deus Christus, patria est, quò imus, homo Christus via est, qua' imus. Hujus via triplex tibi gradus sit. In primo agnosce vilitatem tuam ipse. In secundo, gaude contemptu tui ipsius ab alijs. In tertio, magnis etiam virtutibus, donis & honoribus non efferaris: in alto enim non altum sapere, sed humilibus consentire nil Deo charius ac apud homines est rarius. Hæc apud nostrum Pincharium S. Theod: Doct. quondam designatum Episc. Spiren. Vest. Nupt. l. 2. de statu proficientium c. 11 ex S. Bern. & P. N. Augustino.*

SYM-



(158)

SYMBOLUM 81.

Trias C.

In æconomiâ Religiosâ sagaciter observanda juxta doctrinam  
nostri Pincharij de statu proficientium cap. 14. in fine  
Codex, Cella, Claustrum.

**P**rima, Dei Cultor, triplicis custodia voti  
Sit tibi; C, fuerit cura secunda, triplex.

Te templo reducem maneat cum Codice Cella,  
Rariùs e Claustrum limine fige pedem.

(a) O Cœli & Cellæ cognatio quanta! quis ire

Ad Triadem valeat commodiore viâ?

[a] Cella & Cœli habitatio cognata sunt: quia sicut ad invicem habent cognationem nominis, sic etiam pietatis: a celando enim Cælum & Cella nomen habere videntur; & quod celatur in Cœlis hoc & in Cellis, quod geritur in Cœlis hoc & in Cellis. a Cella quoque in Cælum sæpe ascenditur, vix aut numquam à Cellâ in infernum descenditur. &c. Vide hæc fusius prosequentem nostrum Pincharium de statu perfectorum cap. 4. Et iterum: qui sedet in Cellâ & quiescit, a tribus bellis eripitur scil. auditus, locutionis, & visus, & contra unum tantummodo pugnam habet scil. cordis.

N. Trias alia Religionum fulcimenta acutè adinventæ & expressæ a nostris Theologis Col. in dedicatoriâ Thesum ad Rmum nostrum P. Generalem hoc anno tali vs. s.

Per Trias Ri, Sci, Vi, manet ordo quilibet in Vi, id est, per Rigorem disciplina, Scientiam, Visitationem, manent ordines in virore vel vigore.

SYMBOLUM 82.

Triplex gradus in statu justorum

Conversio ad Deum, progressus in studio virtutis, perseverantia seu palmæ comprehensio.

**A**d solem (a) flos solis amat convertere vultus,  
Ad Triademque suos flectere justus amat.

B b

In



In stadio virtutis ubi decurrere cœpit,  
 Fervidus ac Phaëton rectius urget equos.  
 Nec vacat a cursu donec certamine victor,  
 Palmares Triadis sistat in urbe rotas.

(a) Alias heliotropium: de quo Plin. lib. 2. cap. 41.

N. Alluditur ad id quod scribit Ovidius lib. 2. metam. de Phaetonte, qui auriga, curru Patris sui, scil. Solis utpote igneo, non solum terram adussit, sed & ipsemet conflagravit. Sic & melius Sancti, igne charitatis succenti quasi sedentes in curru Dei, superiores mundo, seipos & omnia terrena, comburentes; velut novi Eliæ curra igneo & triumphali rapiuntur in cœlum.

N. Tres erant sorores Phaëtonis scil. Phæthusa, Lampetia, Phœbe, quæ, ut fingunt poëtæ, casum Fratris ex combusto curru in Eridanum, descentes in arbores populos Deorum misericordiâ sunt mutatæ: & earum lacrymæ in electrum conversæ. Ovid. loc. cit.

### SYMBOLUM 83.

*Tria beneficia justis a SSS. Trinitate consequuntur, ab eâ diliguntur, proteguntur, cum eâ gloriantur.*

**I**usta Trias justos pariter dignaris amore,  
 Conditione parem (a) par ut amare solet.

A rapidis circum-defendis-euntibus agnos,  
 Ne rapiant, perdant, dilanientquæ, lupis.

Non vis sola frui (b) o Bonitas! tot fonte bonorum;  
 Allicis huc justos, participesque facis.

(a) diligit Deus diligentes se juxta illud: ego diligentes me diligo. Alioquin infidelis esset. Ita noster Pincharius, non autem injustus est, ut obliviscatur operis Vestri & dilectionis. Heb. 6.

Ubi nota trifariam in Deo Justitiam; distributivam, commutativam, vindicativam. Primâ, distribuit pro cujusque meritis coronam, & mercedem. 2da, quasi pretium pro re vel opere preestito commutat. Tertia, punit damnatos & peccatores: non est tamen in Deo tam rigidum debitum justitiæ ac inter homines. (b) O magna bonitas Dei! cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, utpote servi Domino, in incipia Redemptoris amicitiarum nobis premia repromittit, ut a nobis obsequia debite servitutis obtineat. S. Aug. serm. 3. de verbis Domini.



## SUBDIVISIO TERTIA

Trinitas diversorum, ex profanis historijs & exemplis collecta.

## PRÆNOTATIO.

**G**regorius Emiss. homil. de pasch. fabulis, inquit, solent documenta declarari. Ne autem Zoilosè fortè apud (ut vocant) Homero-mastyges traducamur, dum Divina & spiritualia historijs profanis, & similitudinibus vilioribus illustramus, quod carpere videtur Seneca dnm ait: vitiosum est in re seriâ delicatum inferre sermonem; nec non Humbertus lib. 2. p. 3. c. 3. hisce fere verbis: non decet, cum de divinis loquimur, ut vilibus exemplis utamur: hoc namque malum ex radice illâ malâ procederet, quando qui spiritualiter non intendit, Divina & sacra abiectè ac ruditer conciperet, & abiectè concipiendo, sua sensa viliter depromeret. Ad hoc igitur evitandum (ut verbis a Cassiano mutuatis utar coll. 14. c. 9.) profunda & abscondita Trinitatis mysteria purissimo cordis oculo contemplantur, & ita timoratè in sequentibus attingemus, ut dignitati & reverentiæ debitæ in cunctis consulamus.



## SYMBOLUM 1.

*Tres stellæ in capite arietis, quæ sunt symbolum literæ D. quæ significat Deum. Pierius lib. 47. cap. 33.*

**S**igniferi [a] princeps aries duxque agminis audis,  
Inde tuus martis nomina mensis habet.

Cornigerâ quod nempè geris tria sidera fronte  
Signa tibi primum jure dedêre locum.

Interea signis tacitos urgentibus annos

Ad Triadem properat [b] concita vita gradu.

*(a) Ariès est primum signum in Zodiaco. (b) quot dies vi. a hic in præsentem peragimus, quasi in itinere ad locum propositum tot passibus appropinquamus. Ait noster Pincharius Vest. Nupt. lib. 1. cap. 2. ex S. Greg.*

## SYMBOLUM 2.

*Astrologi signa inter cælestia constituunt tria sibi conjuncta, scilicet leonem, Virginem, libræ, non obscuram SSS. Trinitatis imaginem.*

**S**unt tria signifero cælestia signa sub arcu,  
Ordine nexa sibi juncta situque loci.

Addita tergeminis sunt nota vocabula signis,

Quæ referant Trini symbola clausa Dei.

Est Genitor virtute leo; de Virgine Natum

Virgo refert: libræ pondera, Pncuma notet.



## SYMBOLUM 3.

Tria P. seu Tres Patriæ patres,  
*Princeps, Pastor, Præceptor.*

**E**st Genitor Princeps æquis qui legibus orbem  
 Temperat, est cæli, principium quæ soli.  
 Filius ad cæli ducendas pascua, Pastor  
 Quas mercatus erat sanguine pascet oves.  
 Spiritus illabens nostris sua lumina fundit  
 Mentibus, ut Doctor quæ facienda docet.

## SYMBOLUM 4.

Tres seu trium Rectores,

*Corporum, animarum, bonorum fortune.*

**C**orpora mox reddenda solo, subjectaque morbis,  
 Qui machaoniâ prævalet arte, regit.  
 Pars nostri melior vigili Pastore beatur,  
 Jus habet in fluxas Induperator opes.  
 Esse Pater dat corporeis; animisque medetur  
 Filius; & cumulat Flamen, utrumque bonis.

N. Multoties vocatur Christus in scripturis Pastor, inò Pastorum Prin-  
 ceptus 1. Pet. 5. quia vigilantissimum Pastorem egit quasi oves errantes in  
 humeros tollendo, & ad ovile suum reducendo. Ideoque etiam hac specie  
 sapientissimè depictus cernitur.

## SYMBOLUM 5.

Tria PPP. Caroli Quinti,

*Id est, Præceptor, Pastor, Prator.*

**U**rbibus imperij Rector ter maximus orbis,  
 P. tria lustrandis quæ rare suctus erat.

Ec



Ecquis prima rudem doceat præcepta juventam,  
Quis Præses verbi, Justitięque pater.

Cuncta Pater [a] pascit, Gnato qui munia defert  
[b] Judicis, & verum Spiritus omne [c] docet.

(a) Matt. 6. & Luc 12. (b) Joan. 5. (c) Joan. 16.

### SYMBOLUM 6.

*Trismegistus seu ter maximus.*

[a] **S**is Tri-megiste procul, mentito nomine gaudes,  
Maximus es mystes, maximus atque sophus.  
Maximus ac Regum titulis, ter maximus audis,  
Dissidet a factis gloria tanta tuis.

Vendicet hæc trinum tria maxima nomina Numen,  
Es minimus, sed ter maxima, sola Trias.

(a) Trismegistus fuit Mercurius ille in Ægypto nepos majoris Mercurij, quem fabulantur fuisse filium Nili. Est autem idem, quod, ter maximus. Scilicet Philosophus, Sacerdos, Rex maximus. Hic primus a physicis ad Divinorum speculationem dicitur se erexisse, & de Majestate Dei, demonum ordine & animarum mutationibus sapientissimè primus disputasse.

N. Cato dicebatur ter optimus ut refert Plin. lib. 7. c. 27. scil. optimus orator, optimus senator, optimus imperator.

Item Carolus magnus dicebatur ter maximus, Videl. eruditione, pietate laude bellicâ. Eginhar. in ejus vitâ.

Item Abel, primus & rer maximus tribus est dotibus: sacerdotio, martyrio, Virginitate. Geneb. lib. 1. Anno mundi 130.

### SYMBOLUM 7.

*Triangulus, Trigonos, seu Triquetrum.*

**E**ffigies Monadis Triadisque refulget in arte,  
Mensuræ & numeri quę documenta tenet.

An-



Angulus est unus porrectus acumine trino,  
Una figura patet, forma trigona placet.

Angelos tres cerne pares, unam aspice formam:  
In Triade est paritas, est Monas atque Trias.

SYMB. 8. de eodem.

**I**nnumeras Triadis fingat mens nostra figuras,  
Angulus effigies vera trigonus adest.

Una figura placet, trino sed acumine dispar,  
Personas referens angulus iste triplex.

Indivisi herent, spatium discriminat impar;  
In Triade est paritas, disparitasque simul.

SYMBOLUM 9,

*Triarj apud Romanos.*

**A**ccipe digestam Romanis legibus olim  
Belli aciem, Triadis signa dedisse putes.

Velite constabat prior ordo, Tirone secundus,  
Tertia pars palmæ spem Veterana dabat.

Sola Trias meritò dicenda Triaria, sola  
Subsidio superest, sola coronat opus.

N. Triarj, erant milites fortissimi, qui in legione Romanâ ultimi erant.  
Hi, si quandoque res fuisset in periculo, in fronte acierum poplitibus flexis  
stabant, ita ut potius animam amitterent, quàm de loco decederent. Unde  
ortum est illud proverbium cum res sunt dubiæ aut periculose, ad triarios  
ventum est; alij erant principes & tirones; primi hastati seu Velitarij.

SYMBOLUM 10.

*Tripolis, portus & civitas maris.*

**M**ens humana poli procul exul ab urbe vagaris,  
Quid mundi immundâ figis in urbe pedem?

In



In cælis Tripolis, statio fidissima mentis,

Facta tibi sedes fixa, beata Trias.

Despice terrenas urbes, hunc suspice portum;

Huc desiderij dirige vela tui.

N. 1. Tripolis, est civitas trigemina, quoniam Tyrij, Sidonij, & Aradij illam obtinent. Hinc Tripolitana regio dicta est. Sunt autem duæ hoc nomine, Africana scilicet, & Syriaca in Phœnice. Oppida Tripolis Africanæ sunt Abrotonum, Tophia, & Leptis magna. Pomponius mel. lib. 1. in descript. Phœniciz. N. 2. Tripontium, Est oppidum Umbriæ, sic dictum quod tres pontes habeat.

### SYMBOLUM 11.

*Tripontium seu Trilibre.*

**A**ugustæ Triadis (a) Scriptor ter maximus, inquit,  
Est mihi pondus amor, quò feror, hocce feror.  
Ignea nata animis vis est amor, attamen ecce

(b) Ad terrena meum cor, meus urget amor.  
Corda leva sursum Trias hocce tripontio amoris,  
Ad peritura caro pronior ipsa ruit.

(a) S. Aug. Epist. 9. (b) Talis quisque nostrum est, qualis est ejus dilectio. Terram diligis, terra eris: Deum diligis, Deus eris. ait S. Aug. tract. 2. in epist. 1. Joan. Charitæ quasi trinitatem creatam parit: in qua trinitate, quasi Pater est dilectio Dei, a qua procedit dilectio, qua se homo diligit, tanquam proles à parente: ab utroque verò dilectio proximi procedit, quasi spiritus S. ab utroque. Ista dilectiones sunt in una substantia charitatis, sed diversa in propria persona. Ita Innoc. III. in Encomio Char. post comment. 7. Psal. Penit.

### SYMBOLUM 12.

*Triclinium.*

**H**ospitium quàm vile mihi, quàm pauper & æger!  
Re. angusta domi, terrea massa domus.

Quàm



Quàm dives tu Diva Trias, quàm Augusta! precantur  
 Affer opem, fer opes; omnia nempè potes.  
 Tres animæ dotes, vacuata triclinia cernis,  
 Sospes ero & dives, dum tuus ho spes ero.

N. Triclinium erat discubitorium, in quo cœnabant olim, a tribus lectis, quos in eo sternebant, nomen habet. Juven., sat. 5.

## SYMBOLUM 13.

*Triumviri penes Romanos.*

**U**Nde trium censes regimen manasse virorum?  
 Imperium Triadis forma regentis erat.

Est Thefaurorum, Caputumquè his summa potestas,  
 Frenandis noctis motibus alter adest.

Est Pater, est Natus, Flamenque Triumvir, habenas  
 Tres simul immensas, urbis & orbis, habet.

N. Triumviri Triplices fuere. Alij capitales qui carcerum curam habebant & cum animadverti oporteret, eorum interventu fiebat. Alij mensarii, qui numularijs seu omnis generis monetæ præerant. Alij nocturni, qui incendijs & incommodis nocturnis advigilabant. Ita Pomponius, Livius, & Cornelius Tacitus habent.

## SYMBOLUM 14.

*Tripus Apollinis.*

**E**Tripodos gens cæca adytis oracula poscit,  
 Ista Tripus Triados noscitur esse typus.

Est eversa tripus, cessere oracula Phœbi;  
 Obtinuit Tripodos jam Trias ipsa vices.

Hinc sacra veridici manant oracula Phœbi;

Ceu Tripus hunc orbem sustinet alma Trias.

N. Tripodes erant mensæ, quæ tribus pedibus sustinebantur, quibus in templo Apollinis superpositæ Phœbades vaticinabantur, teste Servio.



## SYMBOLUM 15.

*Tres Deæ de formæ elegantia certantes: Iuno, Pallas, Venus.*

**T**Er-geminas fingunt Paridis subiisse puellas  
 Judicium; formæ lis erat una tribus.  
 Divitiæ Juno, Pallas sapientia, palmam  
 Præripuit formæ deliciofa Venus.  
 Aspice divisas in trinâ Virgine dotes:  
 At simul unitas continet una Trias,

## SYMBOLUM 16.

*Tres Parcæ penes Poëtas.*

*Clotho, Lachesis, Atropos.*

**T**Res homini Vates olim finxere puellas  
 Infidiatrices texere cuiquæ manus.  
 Parcite mortales experti dicere parcas,  
 Non homini didicit parcere parca trias.  
 Verius Alma Trias dicenda est parcere vitæ,  
 Hæc etenim (a) vitam textit; at illa necem.

(a) Deut. 30. Eccl. 34. Dans sanitatem & vitam 2. Tim. 1. Destruxit quidem mortem  
 illuminavit autem vitam. & ideo S. Aug. tract. 47. in Joan. vita carnis tua est anima  
 tua, Vita anime tue Deus est.

## SYMBOLUM 17.

*Tres Charites penes eosdem,*

*Aglaiâ, Thalia, Euphrosyne.*

**T**Res Charites priscis memorantur jure Poëtis,  
 Quis veræ Triadis signa fuisse neget?



Vox Charis & Graijs, quæ gratia dicta Latinis,  
Municipæ Triadis munera grata notat.

Effluit oceano Triadis quæ copia rerum?

Quæis nequeat (a) grates reddere nemo pares.

[a] Trium charitum, quas sinxerunt græci, duæ aspiciant se invicem tertia erat averso vultu, ut docerent, qui beneficiis accipiunt, se ea æterna memoria debere intueri: qui vero largiuntur, numquam ea amplius in memoriam debere revocare.

### SYMBOLUM 18.

*Trifaux cerberus*

**Q**Uàm variâ Triadem testatur imagine cælum;  
Omnia cum cælo dant elementa fidem.

Quin etiam lethæa palus furibunda fatetur,

Quàm Trias iniiciat frena tremenda cani.

Tergemino excubitor sorbere paratus hiatu,

Tergeminâ, tamquam fuste domatur, ope.

N. Fingitur cerberus triceps propter tres ætates, infantiam, Juventutem, & senectutem, per quas homo ad mortem detrahitur.

### SYMBOLUM 19.

*Tricorpor Geryon.*

**I**Ura dabat rector quondam gentilis Iberis,

Qui Geryon dictus, mole tricorpor erat.

Herculeâ stratus monstri sub imagine clavâ,

Ter geminum pectus Spiritus unus agit.

Dixero figmentum; quod sit substantia Ternis

Unica personis fingere crede nefas.

N. Geryon nomen Regis Hispani, qui ob triplex regnum corpore triplicato fingitur constituisse, quem Hercules interfecit, ejusque boves abstulit. Præfuit autem tribus insulis, quæ adiacent Hispaniæ, Bælearicæ majori & minori & Ebusæ. Et ideo etiam triceps fuisse fertur.

SYM-



## SYMBOLUM 20.

*Nota de Gorgonibus. Gorgones, tres sorores habentes unum oculum, quia fingebatur quod erant unius formæ & pulchritudinis, quæ tanta erat, vel tam terribiles facie, ut alij dicunt, ut spectatores redderent immobiles vel mortuos: & ideo fingebantur eos convertere in lapides. Nomina Gorgonum erant Euryale, Sterio, & Medusa. Ab agilitate nomen habent.*

## SYMBOLUM 21.

*Augustus Imperator teste Suetonio cibi & potus parcissimus, ter solitus bibere super cænam, quam ternis ferculis parabat.*

**P**Acis oliviferæ, Augusto regnante, Monarcha  
Nascitur, & toto funditur orbe salus.

Augustum hunc ævi, vitæque cupidine longæ,

Tres Calices memorant, tresque parasse Dapes.

Longævam Triadis sub imagine discite diætam,

(a) Fercula cælicolas trina parata cibant.

*(a) In scutella Dei tria continentur fercula: claritas perspicuitatis, quæ fulgebit ut sol; integritas puritatis, quæ erit ut Angeli; firmitas aternitatis, quæ erit ut Deus. Bern, in sententijs*

*N. Finxerunt Poëtæ cibos quosdam Deorum, ut nectar, ambrosiam, moly &c. qui eos facerent lætos, beatos & immortales: sed occasionem fabulationis videntur sumpsisse ex arbore vitæ Gen. 2.*

## SYMBOLUM 22.

Tria F. F. F. in ænigmate Diphili,

*Id est, tria Fortia quorum unum alterum, illudque tertium superat, scilicet Ferrum, Faber, Febris.*

**V**ulcano ferrum, multo mollescit & ictu,  
Ceditur ac cedit ferrea massa Fabro.

Dira



Dura Fabri duros Febris depascitur artus,

Et victrix plusquam ferrea sternit humi.

In Deitate magis Personas suspice: dices

His tribus in summo robur inesse gradu.

SYMBOLUM 23.

*Tria V. quæ cavenda. A tribus abstinendum juxta Anacharis Philosophi sententiam, scilicet: Verbis, Venere, Ventre.*

**T**res metuas hostes, Linguam, cum Cypride, Venere,

Est totidem frenis hæc superanda trias.

Quæ venit in venas, Venerem (a) jejunia frangant

Gratus eris, Ventris sobrietate, Deo.

Indomitam frenent servata silentia Linguam,

Laxatam in Triadis quam decet esse decus.

[a] Triplex est jejunium Ecclesia: quatuor temporum, vigiliarum, quadragesimale: quia sicut sub ternario peccamus videl. in Patre per impotentiam, in Fil. per insipientiam, & Spiritum S. per malitiam; corde, ore, opere, contra legem natura, Scriptura, gratia, originaliter, venialiter & mortaliter. & ista sunt serpens, mulier, vir, id est, concupiscentia suggerens, sensualitas delectans, comedens &c. ratio consentiens. Ita quoque sub ternario contra jejunamus. Sic pie & doctè noster P. Pincharius ornatus anima lib. 1. c. 8.

SYMBOLUM 24.

*Tres aves uno telo transfixæ a Godef. Bullionio Duce.*

**S**trenuus, augurio Triadis, Bullionius, arces

Dum longâ Solymas obsidione premit,

Tres memorant uno fixisse per aëra telo,

Quas modò Dux gestat stirpe perennis, aves.

Christigenis tales animos (a) Heroibus, oro,

Suffice pro verâ Relligione, Trias.

[a] Ioannes Austriacus invictus Turcarum victor, in suis signis militaribus Crucem cum hac ressera gerebat: In hoc signo vici Turcos, in hoc signo vincam hæreticos. Gen ebr. lib. Chronol. in fine.

SYM



## SYMBOLUM 25.

*Tres coronæ, urbis Agrippinæ insignia.*

**M** Illia quot recolis ter Sancta Colonia Divum,  
Sunt totidem capiti debita ferta tuo.  
Cur non ter geminis rutilent tua signa coronis?

*(a) Euphratam Triados pellis ab urbe reum.*

An quia dum numerus complectitur omnia ternus,  
Regibus a ternis Trina corona datur?

*(a) Euphrata scelestissima perversitatis Doctor, Ariani dogmatis Zizania tritico sana doctrina Colonia et alibi superfeminat, unde factum est mira omnipotentis Dei dispensatione, ut Colonia expelleretur, atque e numero Pastorum exterminaretur, & S. Severinus successor existeret, Ita in vita S. Severini.*

## SYMBOLUM 26.

*Tres proles, quas ex punitioe quadam Dei, femina parit.*

**A** ppellando suem dum sperneret una, quod uno  
Quatuor enixu pignora fortè dedit.  
Icona sic Triadis nimis imprudente lacessit

Ore, ter ultrices elicitura manus.

Tres meritò partu proles enitur uno:

Mira cave Trini spernere facta Dei.

## SYMBOLUM 27.

*Tria ad quæ Socrates hortabatur juvenes teste Max. serm. 41.**Prudentia animi, continentia linguæ, verecundia vultûs.*

**Q** uantum vernanti decus est Prudentia pubi?  
Rideat O! omnis flore juvenia pari.

Nec minor est juveni Linguæ Moderatio virtus,

Norma Pythagoricæ gloria magna scholæ.

Purpuret ora Pudor, mentis quæ gratia major?

Nobilior Triadi non datur ulla trias.

SYM-



## SYMBOLUM 28.

Tribus hisce paruisse, numquam te pœniteat, ut Sapientis monitum est, scil. verum dicenti, bonum consulenti, gallo gallinaceo te e somno excitanti.

**D**A faciles, verbis Vero conformibus, aures, Consilijs morem, sunt ubi recta, geras. Alitis excutiat vigilantia prima teporem; Ecce trias moniti: ne vereare sequi.

(a) Consilij dator est Genitor melioris, & author

(b) Est Verbum veri, (c) Spiritus ales erit.

(a) Deus Pater Daniel. 7. describitur, & ad ejus descriptionis imitationem depingitur, velut antiquus dierum (forte ob ordinem originis) in antiquis autem est Sapientia, & in multo tempore prudentia. Job. 12. (b) Dominus dedit mihi linguam eruditam Isa. 50. Quod de Christo vel Sapientia Dei explicat S. Greg. Unde Judai de Christo dicebant: numquam sic locutus est homo. Et Apostoli: Domine quo ibimus? verba vita aeterna habes. (c) Quia Spiritus apparuit in specie alitis scil. columba, qua ordinariè depingitur; qua liberationem & liberatorem in salutaris baptismatis diluvio Matt. 3. & gratiam Patris per Christum orbi oblatam demonstravit; sicut in diluvio ramum olive ferens, communem orbis tranquillitatem annuntiavit. Ex Corn. Jans. Conc. Evang. cap. 14. Et hic S. Spiritus discurret, festinat, suscitavit amicos suos ne dent somnum oculis suis proverb. 6. Vide etiam Bern. serm. 2. in Pent. de triplici bono, quod anima justæ donat Spiritus S.

**N.** Possent hic addi plures aliae trinitates ex historijs & exemplis v. g. tria pessima Cappa seu tres gentes pessimæ a Cappa incipientes; puta Cretenses, Cilices, Cappadoces. Tria A, quæ sunt nervi bellorum, de quibus Ovid. lib. 1. Metam. videlicet aurum, arma, animus. Tria potentia M. v. g. mas, mars, mors. Tres Reges ab Antichristo superandi scil. Rex Aegypti, Rex Africae, Rex Aethiopiae. Tria millia virorum mandibulâ asinae a Sampson, 1000. interfestis, superata. Tria lilia in insigni



in signi Regis Franciæ circa tempora (ut aliqui narrant) Caroli Ludovici, Balbi Filij primam usurpatâ. Tria nomina, quæ Scytopoli, dum Dux illustris auream crucem fabricari curaret, divinitus absque opera & scitu aurifabri, insculpta in cruce scil. Emmanuël, Michaël, Gabriël: ita ut summum locum teneret Emmanuël; inferiorem instar brachiorum, Michaël & Gabriël, ut habet Gret. lib. 2. de Cruce cap. 13. Tres item Cruces, quas Hilarion in littore maris pinxit; quibus in summam altitudinem mare intumescens fecit stare & ne regrederetur, prohibuit, ut refert S. Hier. Tres characteres sacramentales. & talia sine numero plura. Nec inficior alia etiam magis accommodata proposito nostro inveniri posse. Quocirca non inviderem ei, cui per studium & otium melius, quam mihi, vacaret, qui nostrum scopum promoveret, opellam erugaret, seu latius extenderet.





## DIVISIO TERTIA

## Ex similitudinibus rerum naturalium

## PRÆNOTATIO.

**Q**uamquam omnes Creaturas a suo creatore infinitis dista-  
 re parasangis, imo non magis umbram a corpore, nihil ab  
 ente, finitum ab infinito dissidere compertum sit; innumera ta-  
 men sunt, imo omnia creata ejusmodi, ut vestigium aliquod  
 SSS. Trinitatis præ se, ac circumferre videantur. Hinc Inno-  
 centius III. *myster. miss. lib. 2. cap. 42.* quoddam, inquit, in-  
 creatæ Trinitatis vestigium relucet in omnibus creaturis, tam in  
 Angelo quam in homine & in mundo. Nam ad Angelum in-  
 quit Propheta Ezech. 28. tu signaculum similitudinis plenus sa-  
 pientiæ, & perfectus decore. De homine dicit scriptura Gen. 1.  
 fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. De  
 mundo dicit Apostolus Rom. 1. invisibilia Dei per ea quæ facta  
 sunt a creaturâ mundi conspiciuntur intellecta. Quælibet autem  
 trinitas, siue spiritualis in Angelo, siue corporalis in mundo, si-  
 ve spiritualis & corporalis in homine, similitudinem quandam  
 Divinæ Trinitatis ostendit, ipsius tamen similitudinis verita-  
 tem non perficit. Deus enim est Spiritus increatus, immensus,  
 incommutabilis; summè potens summè sapiens, summè bonus. In-  
 creatus, quia non incepit in tempore vel ex tempore. Immensus,  
 quia non circum scribitur loco. Incommutabilis, quia non varia-

D d

tur



in facto vel effectu. Summè potens, cui nihil est impossibile. Summè sapiens, cui nihil est ignorantia. Summè bonus, cui nihil est invidentia. A quo omnia sunt potenter creata, per quem omnia sunt sapienter formata, in quo omnia sunt diligenter conservata. Creata per potentiam, Patrem, causam efficientem. Formata per Sapientiam, Filium causam efficientem. Conservata, per Diligentiam, Spiritum S. Et ideo hanc æternam & individuam Trinitatem jure laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Collaudantque omnia creata reliqua. Impri-  
 mis tamen homo singulare dictæ majestatis est opus. De quo Ru-  
 pertus humana, inquit, creatura illud potissimum opus est, quod  
 Beata Trinitas magnâ sibi dignatione divisit, ut Pater conderet,  
 Filius redimeret, Spiritus S. igniret. Homo inquam factus est  
 non solum ad imaginem & similitudinem SSS. Triadis, verum  
 etiam super omnia ejus opera constitutus, ut cæteris rebus emi-  
 nentior, quas sensu aut intellectu perciperet juxta Apost. Rom.  
 1. sui Creatoris redderetur memor, & ad grates tanto Benefac-  
 tori, ter optimo, terque maximo jugiter persolvendas excitaretur  
 Et sic est, quod undequaque (ut conformiter Gregorio Nazian.  
 orat. 40. loquar) veritatis lumen seu potius Trinitatis irradiet  
 tum a scripturis, tum a mundo, tum a nobis ipsis. Eò videtur  
 Divinæ providentiæ oculus collimasse, ut homo ex creaturis De-  
 um ac Creatorem suum cognosceret, cognitumque amaret, eoque  
 magis cognoscendum, quò magis amaret, eoque ardentius aman-  
 dum, quò melius cognosceret. Vide prologium nostrum in initio  
 circa finem. Hoc itaque sine nonnulla symbola de ipso homine,



qui est imago Dei creata, & ijs, quæ ad venerationem & re-  
verentiam unius ac Trini Dei, occulto naturæ caractere, ne taci-  
to veluti monitu ipsum excitant, hac tertiâ & ultimâ divisione  
adijciuntur.

## SUBDIVISIO PRIMA

Trinitas diversorum, in ipso homine seu  
creatâ Dei imagine, conscripta, & ad my-  
sterium Divinæ Trinitatis  
accommodata.

### SYMBOLUM I.

Triplex creatura,

*Purè spiritualis, purè corporalis, mixta sicut homo, qui intel-  
ligibilis & corporeæ naturæ est nexus, at que confinium.*

**O**Mnia quæ finxit digessit limite certo,  
Distinxitque suis dotibus alma Trias.

Arbitrij merito perstans in amore triumphat

Spiritus, & piceis mergitur osor aquis.

Corpora mundus amet, meliori sorte creatis

O homo! qui Trini factus imago Dei.

N. Imago Dei non est in solo viro, ut aliqui voluerunt, sed & in Angelo &  
in feminâ: tam enim Eva, femine & omnes Angeli, quam Adam & viri  
sunt creati ad imaginem Dei, ut fule docet S. Aug. 12. de Trin. cap. 7.



N. 2. Quomodo via Angelorum absoluta sit daobus instantibus vel operationibus; & post primum immediate, perseverantes in bono ad terminum beatitudinis pervenerint, mali e contra ad damnationem. Qualiter etiam suafore Lucifero mali peccarint superbiâ, quâ non voluerunt Dei imperio subesse, consequenter odio et invidiâ ob dominium Dei, & exaltationem naturæ humanæ: E contra boni meruerint: actibus bonis Duce Michaële, unde prælium illud spirituale ortum, de quo Apoc. 12. lege vel apud Valent. vel alios.

## SYMBOLUM 2.

*Tripliciter Deus est principium creaturarum potentiâ, sapientiâ, bonitate.*

**C**uncta potens Trias e nihili secrevit abyfso,  
Cujus inexhaustâ fons Bonitate fluit.  
Ideâ, quem mente gerit mox explicat, orbem,  
Et patet Artificis tam sapientis opus.  
Hoc infinitâ quâ condidit arte gubernat,  
Et tua quò rectè mens operetur, agit.

N. Gen 1. habetur: dixitque Deus &c. Et facti sunt. Dixit ergo, dum euncta creavit, id est, in mente concepit, voluit decrevit & imperavit Deus, puta ipsa SSS. Trinitas, & facta sunt, Dei enim velle est facere, inquit Athan. ferm. 3. cont. Ari. Appropriatur tamen vox *dixit* Filio. Unde scriptura per Filium quasi per Verbum omnia esse condita saepe dicit, quia nimirum Filius est notionale & propriè dictum Verbum, & consequenter ipsi appropriatur sapientia, ars, idea; sicuti Patri potentia, Spiritui S. bonitas attribuitur. Unde nomen principij in divinis sumitur & personaliter, & essentialiter. Nam & Pater est principium Filij & Spiritus S. & Deus est principium creaturarum.

## SYMBOLUM 3.

*Tripliciter Deus est ubique juxta illud:*

*Enter, præfenter, Deus est & ubique potenter.*

**R**egnat ubique Trias: suprema est Regia cœlo,  
Possidet unâ undas jura dat Una stygi.

*Quanta*



Quanta Trium virtus; Unius quanta potestas!  
 Impositum cunctis rebus habere pedem.  
 Spes tibi nulla fugæ superest, circumspice; vultum  
 Quo-te-cumque feras, cuncta (a) Tuentis habes,

(a) Hinc Homerus de Deo ita loquitur: est sol, qui omnia videt, & omnia audit. Et Æ-  
 gy tji pingebant Deum quasi oculum baculo innixum ut significarent Dei omniscientiam;  
 vel sceptrum habens in se oculum ut simul significarent Dominium. Et S. Aug. serm. 2. de  
 temp: oculos Dei universa cernentis non abdita locorum, non parietum septa secludunt:  
 nec solum ei acta & cogitata sed & agenda & cogitanda sunt cognita. Ista est scientia  
 summi Iudicis. Iste est tremendus aspectus &c. Semper ergo Dei meminere & mens tua ca-  
 lum evadet, noster Pinch. ex S. Eph.

## SYMBOLUM 4.

Tria in omni spirituali creaturâ,  
 Natura, potentia, actus. Vel, ut habet Dion. cap. 11. De  
 Cæl. Hierarchiâ, essentia, virtus, operatio.

**P** Rincipium motûs, nec non natura quietis,  
 Cuilibet est enti scribit Aristoteles.

Principium est actûs naturæ innixa potestas;  
 (a) Pneumatis est Natus, principiumquè Pater.

Hinc natura fluit, virtus & agentis, & actus;

Est Trias omnigeni fons & origo boni.

(a) A Patre & Filio authoribus consistendus est Spiritus S. S. Hil. lib. 2. de Trinit.

## SYMBOLUM 5.

Triples status felicitatis humanæ.

Innocentiæ, gratiæ, gloriæ. In singulis est cognitio SSS.  
 Trin. sed non æquè perfecta.

**I** Nfontem elysijs ab origine collocat hortis  
 Sancta Trias positâ cum pare, lege, par em.

Prô



Prò dolor ! exciderant fastu data iussa, caduntque ;

Sed tua cum lucro gratia Christe levat.

Ipsa Trias tandem ( munus pensetur amore )

Humanæ mentis gloria summa datur.

N. Ex D. Tho. 22. q. 2. art. 7. & 8. quòd Adam in statu Innocentię, tamquam primus parens qui posteros instrueret ad vitam æternam, fidem habuerit mysteriorum Divinorũ specialiter Incarnationis ut ex verbis Adami Gen. 2. propter hoc relinquet homo Patrem &c. collatis cum C. 5. ad Eph. colligunt DD. accipiendo hoc de Christo relinquire Patrem & Matrem cælestem Jerusalem ut ad hæreat Ecclesię in terra; & consequenter SSS. Trinit. fides fuit. Quæ per Christum & Apostolos clarè est manifestata.

### SYMBOLUM 6.

Triã genera animarum

*Scil. Vegetativum, Sensitivum, rationale, quæ in homine sunt una anima.*

**P**Lanta quidem sensim crescens assurgit in auras,  
Ipsa tamen sensu, notitiâque caret.

Et pariter vivunt, gaudent animalia sensu,

Ac quadam crassâ cognitione valent.

(a) Præter ea est homini concessum (b) mente valere,

Et Triadis vultu, post sua fata, frui

[a] Anima rationalis ut docet D. Tho. Quodl. 1. art. 6. continet inferiores, puta vegetativam & sensitivam. (b) Docet idem Doctor 1. p. q. 93. imaginem Dei reperiri in homine secundum mentem ( per mentem intellige omnem illam partem, per quam homo excedit alias creaturas & que convenit homini ut homo est) quia homo sic representat & naturam, & personarum Trinitatem aliquâ similitudine. Naturam, in quantum Deum imitatur non solum in hoc quod est, & vivit, sed etiam quod intelligit: Trinitatem in quantum in eo reperitur processio verbi, processio amoris: atque ita principium verbi, verbum, amor.



## SYMBOLUM 7.

*Anima una in corpore uno, triplici loco situata.*

**S**piritus informet simplex ut corpus idemque,  
Symbola vix Triadis commodiora dabis.

Affingas unam triplicato in corpore mentem,  
Spiritus ast idem, non triplicatus erit.

Schemate sub simili nonnullus censuit Author;

Fulsit (a) Isaiaꝝ visio clara Dei.

[a] cap. 6.

## SYMBOLUM 8.

Tres animæ potentiaꝝ

*Memoria, intellectus, voluntas.*

**I**ndex Ingeniti sit prima potentia Patris;  
Altera sit Verbi quod Patris ore fluit.

Tertia vis animæ, sedes quæ substat amori,

Hæc Procedentis Flamini esto typus.

Effigies Triadis non est hac pulchrior ulla,

Prototypique capax hæc erit una sui.

N. 1. Ex D. Tho. 1. p. q. 93. imaginem Trinit. in animâ principaliter attendi secundum actus, prout scil. ex notitiâ format verbum, & ex hoc prorumpit in amorem. Trinitas enim personarum secundum actualem processionem Verbi & Amoris distinguitur. Ac proinde dum dicitur per memoriam, intellectum & voluntatem representari Trinitatem, actus principaliter sunt intelligendi. Non tamen ideo sequitur quod in pueris & dormientibus non sit imago Dei, quia sufficit, quod actus sint virtualiter in suo principio: nam secundariò & consequenter ratio imaginis attenditur secundum habitus & potentias.

N. 2. Triplex imago est in animâ humanâ. Prima in quantum naturaliter est apta ad intelligendum Deum, & vocatur creationis, vel etiam imago



naturæ, quia convenit homini secundum naturam, secundum quam creatus est homo. Altera est eadem anima quatenus per fidem & charitatem cognoscit & amat Deum supernaturaliter, & dicitur imago recreationis & gratiæ. Tertia est quatenus eadem anima per lumen gloriæ & charitatem Patris Deum perfectè cognoscit & amat, & est imago perfectionis. Prima convenit omni homini nec unquam per peccatum perditur. Secunda solis justis, quæ animâ peccante deperditur & per justificationem reparatur. Tertia solis beatis. Servit hæc distinctio ad intelligendum scripturas, & Patres, qui subinde diversimodè de hac imagine loquuntur.

## SYMBOLUM 9.

*Imaginem SSS. Trinitatis agnoscimus ex eo, quod sumus, & nos esse novimus, & nostrum esse ac nosse diligimus. S. Aug. lib. 11. de civit. cap. 26.*

**S**crutator Triadis cupidissimus Augustinus,  
Exhibet ingenio Symbola digna suo.  
Acceptum Ingenito quivis ferat esse parenti,  
Esseque per Genitum me scio Nosse meum.  
Esse bonum est, quadrat Divinæ legibus artis,  
Et quod ametur opus, Flamen amoris habet.

N. Ex D. Tho. loc. cit. imaginem Dei maximè consistere in eo actu, quo mens nostra fertur, seu ferri nata est in Deum: sic enim imago est similis exemplari: quia Verbum Dei nascitur de Deo secundum notitiam sui ipsius, & Amor procedit a Deo seipsum amante.

## SYMBOLUM 10.

*Tria sunt juxta vulgi opinionem humanarum actionum principia, sensus, mens, appetitus; juxta veritatem autem tantum duo; mens & appetitus. Ex Arist. 6. Eth. c. 2. & Enchir. Eth. peripat. Exim. D. Ant. Dave S. Theol. Doct. Louan. & profess. publici & ordinarij moralis doctrinæ.*

**P**incipium triplex humanos elicit actus,  
Meta tamen fieri posset, ut una trium.

Men-



Mentis luce, bonum proponitur; appetis illud,  
 Prosequeris toto corde, fruique cupis.  
 Lux fidei Triadem solùm proponit amandam,  
 Est quod ames summum, quove fruarè, bonum.

## SYMBOLUM 11.

Tres operationes intellectûs

*simplicium apprehensio, compositio, Discursus.*

**E**st tabulæ primùm mens nostra simillima rasæ,  
 Nulla rei species, nullus inestque color.  
 Mox subit ens simplex; varijs dêin aucta figuris,  
 Quæ disiuncta unit; colligit inde sequens.  
 Esse Dei simplex puro signatur ab actu,  
 Tres quoque Personas actio trina refert.

N. Homo intelligendo fit quasi omnia, ut ait Arist. 3. de An. quia omnium rerum imagines & simulacra in phantasiâ & mente sibi efformat. In quo etiam quamdam Dei similitudinem representat.

## SYMBOLUM 12.

Tres hominis appetitus.

*Rationalis, & Duo sensitivi, concupiscibilis, & irascibilis.*

*Bonum enim, quod est obiectum appetitûs; vel apprehenditur per intellectum & est appetitus rationalis; vel per sensum in quantum conveniens, sensuque delectabile, & est concupiscibilis; vel ut arduum, & licet non sit delectabile secundum sensum, tamen conveniens secundum aliquam commoditatem, & est irascibilis.*

**U**nus est animæ triplex selecta cupido,  
 At ratio summum regia c ulmen habet,

E e

Ira ve



Irave quâ justâ forvescunt pectora bile.

(a) Ardua moliri pro Deitate velis.

Nata cupido animis Triadis flagrabit amore,

Et desiderijs sit scopus ille suis.

(a) Socordis est anima dicere: sufficit mihi si salveris ad coelum per veniam. Quisque enim cenari debet ut in caelo sit primus, primumque ibidem referat bravium, quod ardua conantibus & heroicè certantibus dabitur. Ex Chryf.

SYMBOLUM 13.

Tres in homine spiritus,

Naturalis; vitalis, qui residet in corde quod est fons vitæ, cuius est mediantibus his spiritibus per totum corpus calorem naturalem distribuere; animalis qui residet in cerebro & inde diffunditur per totum corpus, necessarius sensationibus & virtuti progressivæ.

**S**piritus ille prior viventis prima facultas;

Alter vivifico semine, corde sedet;

Vis motiva subest, & agendi corpora virtus:

Spiritus ille triplex, unicus alma Trias,

Nam Trias est, nos unde sumus, quâ vivimus, ad quam

Tendimus; a vitæ fine, suprema quies.

Quare B. Greg. Nazian. non tam sepe spiritum ducere quam Dei meminisse oportet, imò, si dici hoc potest, aliud nihil quam hoc faciendum. Nimirum, quia & respiratio, & vita ipsa, perpetuum Dei beneficium est.



## SYMBOLUM 14.

Tres principes corporis partes penes medicos, Caput,  
Cor, Jecur.

N. Quantum ad corpus, homo non est imago Dei, nisi forte late sumatur; sed habet similitudinem vestigij, sicut alia creaturae: neque etiam secundum corpus praecellit omnibus alijs creaturis; quamvis dici possit solum corpus majorem similitudinem esse juxta quod Ovid. canit 1. Metam.

Pronaque cum spectent animalia caetera terram,

Os homini sublime dedit, caelumque videre

Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus &c.

Hae enim figura, est quaedam mentis in homine imago, quae etiam hominem monet quod caelo natus sit; & ab hoc si aberraret, satius non homo fuisset. Hic ergo merito omni homini est stimulus ad vitam Sanctam & puram, dum secum; cur animam rationalem & immortalem acceperit, cur recta sit statura & caelum sufficiat, non autem pronae & prostratae, & ut, pecora in terram, cogitat.

**E** Minet arrectum cerebri, caput, inclyta sedes;  
Ceum caput est Triadis principiumque Pater.

Cor vitae fons est, vitae tibi Fons & Origo

(a) In medio est oriens, in medio moriens.

Et jecur ardescens Divinum signat Amorem:

En tribus est membris Sancta notata Trias.

(a) Operatus est salutem in medio terra. psal. 73. Hinc S. Aug. toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in Caelo. lib. de S. Virg. cap. 55.

Item in medio pecudum nascitur, in medio larronum denascitur. Vide pag. 77.

SYM-



(185)

SYMBOLUM 15.

*Cor hominis Trigonum.*

**H**umano si quanta petis sit corde cupido,  
Sidereos orbis volve, solique globum.  
Cor licet exiguae sit carnea portio molis,  
Vim tamen immensam, nec leve pondus habet.  
Non capitur caelis humana cupido, Trigonum  
Sola Trias nostrum cor satiare potest.

N. SSS. Trinitatis fides commendatur in eo: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima & ex tota virtute: quasi diligere ex corde, sit diligere ex tota memoria quae Patri adscribitur; ex tota anima, sit ex toto intellectu qui filio datur; ex tota fortitudine, sit ex tota voluntate, quae Spiritui S. accommodatur. Raban. in Deut. 6.

SYMBOLUM 16.

*Tres digitorum articuli.*

**S**ilubet en digito Triadem monstrare licebit;  
Tres sunt in digito quolibet articuli.  
Si dubites, crepitus digitorum consule, membrum  
Quodlibet ad libitum tres digitale dabit.  
Quot digitos igitur dextram laevamque recenses,  
Tot sunt ante oculos symbola clara tuos.

SYMBOLUM 17.

*Tribus ossiculis stipatur organum auditus seu tympanum quorum unum incudis, alterum malleoli, tertium stapedae figuram refert.*

**M**onstravi digito nunc auribus excipe, praestans  
Arcanae Triadis symbolon, auris habet.

Stipari



Stipari officulis auditûs organa ternis,  
 Quisque machaoniâ, qui valet arte, docet.  
 Nempè palam Triadis quoniam mysteria Doctor  
 Explicat, hanc vulgus percipit aure fidem.

## SYMBOLUM 18.

Triplex hominis ætas.

*Crescens, media, deficiens.*

**N**on immota manet, crescit, stat, deficit ætas,  
 (a) Ad metam gradibus labitur hisce tribus.  
 Maturo liberes animo, quo tramite pergas  
 Præfixam ad metam, quam tua tela petant.  
 Dum crescit, dum stare putas, dum labitur ævum;  
 Tuta tibi ac felix meta sit una Trias.

(a) Quid aliud est vita quam cursus ad mortem inquit S. Aug. Præsens vita magis mors est quam vita, quia consistit in corruptione, fluxu & refluxu. Theoph. A. tumulo tumultum peto. Nazianz. Quotidiè demitur aliqua pars vitæ, & tum quoque cum crescimus vitæ decrevit; hunc quem agimus diem, cum morte dividimus: mox ut in vitam ingredimur, statim alia porta exire incipimus. Seneca epist. 59. Ite nunc mortales, opes, honores, prædia accumulate, cras morituri dicit noster Pincharius. Plures corporis humani Trinitates reperire est apud Bedam de nativitate infantium. Ubi etiam tres dies & noctes addit scil. 6. Kal. Feb. & 3. Kal. & idus Feb. in quibus si vir natus fuerit, corpus ejus sine dubio integrum manere dicit: cujus mysterium mirabile est valde. Quid resti subsit, nescio.

SUB



# SUBDIVISIO SECUNDA.

Trinitas diverfarum rerum ex scientijs  
vel sapientiâ creatâ conscripta, & ad  
Divinæ Trinitatis mysterium  
accommodata.

## PRÆNOTATIO.

**N**ihil est, per quod magis Dÿs assimilemur, quàm per scire, inquit Cicero. Et Horatius loquens de Deo sic fatur:  
Vnde nil majus generatur ipso  
Nec viget quicquam simile aut secundum:  
Proximos illi tamen occupavit  
Pallas honores.

Hinc Angeli, Deo proximi, pollent intellectu, & vocantur intelligentiæ. Hinc etiam homines naturali appetitu (ut inquit Aristoteles) scire desiderant. Sicut aves ad volandum, equi ad cursum, ad sævitiam feræ gignuntur, ita nobis propria est mentis agitatio & solertia, unde origo animi cælestis creditur: hebetes verò & indocti, non tam secundum naturam homines eduntur, quàm prodigiosa sunt corpora, & monstri insignia, dicit Quint. lib. 1. Instit. Hinc etiam prima Dei perfectio homini imitabilis, seu potius appetibilis Gen. 3. est Scientia Dei: quæ est in ipso Deo perfectissimè. Hanc autem nominamus, cognitionem omnium certam & evidentem; quæ in Deo non est  
qua-



qualitas, vel habitus, prout in nobis, sed est ipsa Divina substantia, sicut & reliquæ ipsius perfectiones. Lege D. Tho. 1. p. q. 14.

## SYMBOLUM 1.

*Scientia triplicis, alia Theoricæ, alia Practicæ, alia Mixtæ.*

**M**entalis Speculum doctrinæ objecta figurant,  
Hoc sine labe vides, hæc sine mole capis.

Illarum scopus est mera contemplatio rerum;

Est opere, est usu practica nota suo.

Si mixtæ simul in Triadis vertantur honorem,

Quod speculetur, habet mens, quod agatve, manus.

## SYMBOLUM 2.

*Theologia triplex juxta triplicem modum tractandi de Deo;  
Scholastica, Moralis, Positiva.*

**I**n tres dividitur divina scientia partes:

(a) Prima docet Triadem, cunctaque, more Scholæ.

Discutit humanos actus (b) pars altera, quantum

In virtute decor sit, vitioque probrum.

(c) Tertia Scripturæ, Patrumque oracula monstrans,

Hæresin a verâ Religione secat.

(a) Scholastica dicitur quod methodice & quasi more dialectico, ad disciplinam magis accommodato, doctrinam prosequatur. (b) Moralis dicitur quod ea quæ ad mores & conscientiam pertinent, tractet. (c) Positiva quæ S. Scripturam explicat vel ex Sermone contextu, vel vocum proprietate, vel SS. PP. Tres autem sunt Scripturæ sensus; literalis, moralis, mysticus.

N. Triplex genus Theologiæ fuisse antiquitati cognitum testatur S. Aug. lib. 6. de civ. cap. 5. scil. Fabulosum, quod Poëtæ tractaverunt: Naturale, quod Philosophi: Civile quod Sacerdotes. Sed Ecclesiasticorum Scriptorum usu ea sola doctrina vocatur Theologia, quæ divinæ ac supernaturali revelatio ni innixa, Deum & quæ Dei sunt, considerat.

SYM-



## SYMBOLUM 3.

Tres partes summæ D. Thomæ Aquinatis.

*Nota.* Tres reductores in methodum S. Theologiæ refert Sylvius 1. p. q. 1. scil. Ioannem Damasc. Petrum Lombardum, qui vulgò magister sententiarum dicitur, & Doctorem Ang. per quem S. Tho. intelligitur: & de ejus methodo sive summâ est hic sermo.

**S**phœra velut siculi cęlestis summa theatri,  
Tres capiunt Thomę dogmata Summa Tomi.  
Primus habet Triadem, quæ condidit & Trias ipsa;  
Tenditur ad Triadem, quâ Tomus alter, habet.  
Tertius Authoris vitæ, vitamque, necemque;  
Et septena pio quę Sacra fonte fluunt.

N. Tria sunt, quę nobis proponit S. Theologia in Deo mundo maximè admiranda, scil. Potentia, Sapientia, Nobilitas. Quę tria a Deo sunt neglecta in vocatione hominum ad fidem, justiciam, salutem. Et contrà tria prædictis contraria sunt a Deo electa impotentia, insipientia, ignobilitas. Ita quidam interpres in illud Apost. quę sunt stulta elegit Deus &c. 1. cor. 1.

## SYMBOLUM 4.

Triplex Philosophia,

*Logica, Physica, Ethica. Ex S. Aug. tom. 5. fol. 97. seu ut alij: Rationalis, Naturalis, Moral.*

(a) **Q**uot gremio logice Triadis mysteria condis?  
Clavis es, immensæ quâ referantur opes.  
Naturæ doctrina sinu quot symbola promis?  
Clariùs ad Triadem condita pandis iter.

-MY

Tertia



Tertia visendæ Triadi propiora ministrat

Dogmata, formandis moribus apta docet.

(a) In logica plurima tria sunt videl. tres modi sciendi, definitio, divisio argumentatio. Trias in qualibet propositione, subjectum, copula, predicatum. Plura alia vide infra symb. 15.

SYMBOLUM 5.

Scientiam juris partitur *Vlpianus* in *Ius Naturale*, *Gentium*,  
*Civile*.

**I**ustitiæ rectrix & primi Juris origo

Sunt tua jura Trias, Juris & una tui.

Mortales primùm ratione rescindere lites,

Jus unum genti cûlibet esse jubes.

Discordes cordi est jungat concordia cives,

A folio manant civica jura tuo.

SYMBOLUM 6.

Triplex medicina,

*Chirurgica*, *Pharmatica*, *Dietetica*.

**Q**uin etiam Triadi clarissima Symbola defert

Ars vitæ lentas addere docta moras.

Aut tardare dies victûs moderamine novit;

Arteque fatalis tendere fila coli;

Docta juvatque manus: Triadis sed ferre salutem

Unius est; Parcis ponere jura tribus.

SYMBOLUM 7.

Tres principiores scientiæ *Mathematicæ*.

*Astrologia*, *Geometria*, *Arithmetica*.

**A**stra prior spectat, cælosque, supremus ut orbis

Corripiat motu sidera fixa suo.

F f

Que



Quæ patet immensus tellus latissima campis,  
Subdita mentoris legibus ipsa jacet.

Tertia quæ numeris gaudet, veneratur, & artis  
Reginam Triadem computat esse suæ.

## SYMBOLUM 8.

Triplex Grammatica,  
*Rectè loquendi scientia, Poëtarum enarratio, Historiarum cog-  
nitio.*

**A**Rs benè, Sancta Trias, tradens elementa loquendi,  
Expolit in laudes ora pusilla tuas.  
Progressu majora parans conamina laudum,  
In medijs vatum velificatur aquis.  
Perlegit historias, quas dum complectitur omnes,  
Suspicit imperij plurima facta tui.

*S. Aug. lib. 18. de civ. c. 14. meminit trium Poëtarum Theologorum, quorum nomina  
Orpheus, Muscus, Linus, qui ita dicebantur quod Deos carnibus colerent.*

## SYMBOLUM 9.

*Musica, seu ars benè modulandi, versatur in tribus: Numeris,  
Vocibus, Modis. Cic. de Orat. lib. 1. vel ut alij: in figurâ,  
tempore, mensurâ. Et est triplex: instrumentalis, metrica,  
& instrumentorum, ac metri Iudex. Vel alia Harmonica,  
alia Metrica, alia Rithmica est. Vide Virg. Polyd. de  
rer. inu. l. 1. c. 14.*

**B**Is ternis sinuosa notis variata tonisve.  
Suavè fluens (a) Triadem musica tota sonat.  
Organa quæ tangit, procudit & altera versus,  
Tertia discernens organa, metra, fonos.



O Philomusa phalanx Triadem concentibus effer

In numeris ; numeris , vocibus , atque modis.

(a) In musica tam practica quam theoretica ternarius numerus frequentissime sua loca habet. Quomodo hoc ab ineffabili Trinitate , qua cuncta condidit , proveniat , ne ab ea musica recedat ; vide apud Ven. Bed. in Musica quadrata seu mensurat a circa initium. Ubi etiam Musicorum & Cantorum distantiam allegat. Hi enim dicunt ; illi sciunt que componit musica : Nam qui canit quod non sapit , dicitur bestia. Juxta versusum : Bestia , non cantor , qui non canit arte , sed usu ; verum cantorem facit ars , sed non documentum Musica dicitur a Musis , que secundum fabulam dicuntur filie Jovis. Hac & plura alia lectu grata Beda loc. cit.

SYMBOLUM 10.

Tres formæ regiminis.

*Monarchia , Aristocratia , Democratia.*

**U**Nicus aut princeps , aut nobilis ordo Virorum  
Imperat ; aut clavum turbida turba tenet.

Prima tenet primas , quæ proxima forma secundas ,

(a) Postremas pejus quæ moderamen habet.

Summa Gubernatrix totius , & Unica mundi ,

Cælicolûm Rectrix terrigenûmque Trias.

(a) Juxta illud :

Multorum Imperium multa est confusio semper ,  
Multi sunt damno Domini. Rex unicus esto.

SYMBOLUM 11.

Tres personæ in Legitimo Judicio.

*Actor , Iudex , Reus.*

**I**udicio quovis personas aspice ternas ;

Accusatoris ; Judicis , atque rei.

Actor erit summæ , Genitor qui præsidet , arci ,

Judex , qui Judæ judicium subjicit.

F f 2

Spiritus



Spiritus amborum qui labe remotus ab omni,  
Arcet ab æterni liminis arce reos.

• SYMBOLUM 12.

Prudentia tribus constat,  
*Memoriâ præteritorum, Intelligentiâ præsentium, Provi-*  
*dentia futurorum.*

**D**ivina radius quidam est Prudentia lucis,  
Ternaque discreti temporis acta videt.  
Præteriti memor est, noscit præsentia, mensque  
Nostra futurorum præscia, tela cavet.

Præteritum Triadi nihil est, nil estque futurum,

(a) At simul est præsens quod fuit, est, & erit.

(a) Pervigil Dei oculus simplici intuitu præterita, præsentia, futura præsentialiter cog-  
noscit, inquit Damasc.

SYMBOLUM 13.

Tres virtutes adjunctæ prudentiæ

*Eubulia ./. optima deliberandi ratio. Synesis ./. per spicientia in*  
*judicando seu conscientia. Gnome sive iudicium rectum æquum*  
*& boni viri.*

**C**erne clientelam famulantum ut turba sequatur

Ceu Domine triplex obsequiosa sue.

Consilij stat præsto bonis Eubulia: Judex

Est Synesis recti conscia mensque mali.

Prudenti fluit ore frequens sententia: rivos

Quis neget hos Trini fonte salire Dei?

*Audi hic Hesiodum, sic dicentem.*

Optimus ille quidem est ex sese qui omnia novit:

Est bonus ille etiam, qui paret recta monenti:

At qui mentis inops aliorum audire recusat

Consilia, hic malus est, telluris inutile pondus.

SYM-



## SYMBOLUM 14.

*Triplex abstractio, penes Philosophos a materiâ sensibili singulari tantùm, sensibili communi, & intelligibili.*

**Q**Uò sedeant animis, subeantque cubilia mentis  
Res, quæ mole gravant, materiâ que valent;

(a) Præscindis primùm subjectos sensibus orbes,

(b) Et commune dein sensile ab ente secas.

(c) Nunc utrumque simul Triadis mens æstuet igne,

Ac superos, terræ libera mole, petat.

*(a) Ut Physicus. (b) Mathematicus (c) Metaphysicus & Logicus.*

## SYMBOLUM 15.

Tres Syllogismi propositiones:

*Propositio vel sumptum, assumptum sive assumptio, conclusio.*

*Vel ut alij, major, minor, conclusio.*

**O**Logice! quot, quanta sinu mysteria condis?

Clave tua Trini panditur arca Dei.

Propositum caput est; Assumptum gignitur ipso,

Inde necesse trahi cernis utroque Sequens.

Prima Patrem signat, Patrisquæ resultat imago,

Tertiâ, procedens Numen utroque, notat.

Sunt & alia plura tria in Logicâ, ut differentia & identitas generica, specifica, numerica. Item differentia alia communis, alia propria, alia propriissima. Tres modi simul. Tres propositionum differentia, triplex materia propositionum. Tres species propositionis hypotheticæ &c.

## SYMBOLUM 16.

Tres termini Syllogismi.

*Majus extremum, minus extremum, medium.*

(a) **E**Xtremum majus supremum denoto Patrem  
In Verbo omnigenum qui fabre fecit opus.

(b) Quid



(b) Quid minus extremum? Natum sub carne minorem,  
Subditus est Matri: par Deitate Patri.

(c) Quid medium? Patris ac Nati Spiramen amoris,  
Quod nexum reliquis neclit utrumque sibi.

(a) Est terminus qui cum medio in majore sumitur. (b) Qui in minori cum medio sumitur. (c) Est terminus, per quem extrema in conclusione connectuntur.

SYMBOLUM 17.

*Tres figure Syllogisticae. Prima, Secunda, Tertia.*

**T**er geminis Logicus non differit ab Ique figuris,  
Segregat a verâ dogmata falsa fide.

Clavibus his adiuta tribus mens abdita pandit,  
Et tenebris mixtum dissipat omne genus.

Clarescunt artes; naturæ arcana patescunt;

Ad Triadem penetrans, his referatur, iter.

Sunt quoque tria instrumenta quibus syllogismi imperfecti ad perfectos reducuntur. Item ad demonstrationem tria requiruntur. Primum, genus subjectum. Secundum, affectiones seu propriae passionis. Tertium, principia. vide plura similia apud Dialecticos.

SYMBOLUM 18.

*Tria causarum genera penes Rhetores,  
Demonstrativum, Deliberativum, Iudiciale.*

**R**hetoris est munus vel tollere laudibus acta,  
Personas, & res; vel cumulare probris.

Virtutum stimulos figit, dat frena malignis,  
Æquâ decernit lege cuique suum.

(a) Ad laudem & cultum Triadis si pectora flectis,  
Dicendi præstans arte magister eris.

(a) Ordo optimus incepti & sermonis & operis est, a Deo incipere, & in Deum dirigere, ut Deo dicamus: a te principium tibi desinet. Greg. Nazian. in Apolog.

SYM-



## SYMBOLUM 19.

*Tres personæ penes Grammaticos.*

**P**ersonas numerat Triadis sub imagine ternas,  
Grammata, dum primùm turba tenella, legit.

Arcanum Triados primis inculpitur annis,  
Nempè puer seris, quod veneretur, habet.

Suge puer Triadem nutricis ab ubere, vite

Quæ tibi causa brevis, vita perennis erit.

Nota. Tria sunt vitia apud Rhetores & grammaticos, esse barbarum, obscurum, inordinatum. Tres e contra virtutes, esse emendatum, dilucidum, ornatum. Ita Diomedes grammaticus & Fabius.

## SYMB. 20. de eodem

*Ego, tu, ille,*

**P**ersonas tres Grammatici numerare soletis;  
Tres, puto, Personas in Deitate docent.

Qui Pater est (a) *Ego* sum qui sum dixisse fatendum est,

*Tuque* (b) fede a dextris, Nate coæve, meis,

Ordine Melchisedech *Tu* diceris esse sacerdos;

Omneque vos verum Spiritus (c) *Ille* docet.

[a] Exod 3. [b] psal. 105. Ubi nota esse heresin anthropomorphitarum dicentium: Deum corporeum esse, & Filium corporaliter sedere ad dexteram Patris. Sedere autem est, habitare vel esse in gloria Dei, dicit S. Aug. Et dextera Filij non opponitur loco medio Patris, sed iustro: ad sinistram enim est Spiritus S. qui a Patre & Filio procedit. Nec est hic ordo dignitatis, sed processionis, qui solus in divinis est. Aut potius ad sinistram sunt alij Sancti minores. Iste ac alij modi explicandi adferuntur a Comment. in psal. 105. & ad Coloss. 3. [c] Ioan 15.

De scientijs finis esto. Quædam alia sequenti sub divisioni reservantur. Pro coronide hic annotare serviat; optimam de Trinitate scientiam esse eam: Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitiâ & sanctitate veritatis. Eph. 4. & cum Poëta parumper variato de hac scientiâ dico:

Si



Si Triadem nescis nil est si cætera nescis,  
Si Triadem nescis, nil est si cætera nescis.

Unde S. Chryf. hom. 10. in Marc. sic loquitur: ego omne, quod intelligo, sine Christo & Spiritu S. & Patre nolo intelligere: nisi intellexero in Trinitate, quæ me salvavit, dulce mihi non est, quod intelligo. Et rursus Poëta;

Quidquid, amore carens, mundi capit ambitus hujus

Si scirem; ante Deum non nisi stercus ero.

Nec faciunt quemquam sublimia verba beatum,

Gratus quis solâ fit pietate Deo.

Elato astrologo lustranti sidera, simplex

Rusticus est melior, Numina qui metuit.

Judicium gravius, fueris quò doctior ipse

Excipies; pietas si tibi defuerit.

Hæc modesto, simplici ac Sancto stylo, ac plura similia vide apud nostrum Herm. Woestenraedt lib. 1. de Imit. Christi, carmine reddito, cap. 1. & 2. quem edidit anno 1623. postea domus Leodiensis Prior factus. In quo officio aliud edidit opus de 42. mansionibus Israeliticis, seu 42. Vijs ad cælum, opus ter pium, juxtaque egregiè doctum. Item lege Nostrum P. Dardejum in suis Poëmatibus editis Leodij. Anno 1632.



## SUBDIVISIO TERTIA.

Trinitas diversorum ex vestigijs propriè,  
Dei, id est, alijs naturalibus conscrip-  
ta & ad SSS. Trinitatis myste-  
rium accommodata.

## PRÆNOTATIO.

**T**Ria in magno hujus mundi opere cogitare debemus; quis il-  
lum fecerit, per quid fecerit, quare fecerit, inquit S. Aug.  
in sent. sent. 141. Dixit Deus fiat lux & facta est lux: &  
vidit Deus lucem quod bona esset. Nec author excellentior est  
Deo, nec ars efficacior est Dei Verbo, nec causa melior est, quàm  
ut bonum creetur a Bono. Et S. Bern. serm. 3. de Pent. poten-  
tissimè, inquit, ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè  
utilia sunt creata. Et ideo S. Antonius cuidam roganti quomoda  
in eremo sine libris vivere posset, respondit. Meus liber, o Philo-  
sophe, est natura rerum a Deo conditarum, quæ quotiescumque  
mibi libuerit, libros ipsius Dei ad legendum suppeditat; omnes  
enim creaturæ (etiam præter homines & Angelos) licet non  
sint imago propriè, sunt tamen vestigium quoddam Dei, repræ-  
sentantes Deum, sicut causam effectus; & consideranti earum  
naturam, actionem, dispositionem, determinationem, mirabilem  
omnium inter se consociationem & ordinem, non solum videt eas  
Divinâ ratione & sapientiâ conditas esse, & conservari; ve-



rùm etiam obscuram aliquam imaginem, seu potius vestigium  
Divinæ Triadis invenit. Prout sequentibus manifestum magis  
reddetur.

## SYMBOLUM 1.

*Tria in omni actione Physicâ, Agens principale, instrumentum  
conjunctum, & separatum.*

**F**Inge ter augustæ depingi Virginis ora  
Forfan Apellæâ, vel meliore manu.  
Est princeps hic pictor Agens, artisque perita  
Juncta manus, calami munere tangit opus.  
Sola boni princeps operis Trias, atque magistra est;  
Sis homo ceu calamus, vel quali juncta manus.

## SYMB. 2. de eodem

**I**ndolis ingenuæ tria quæque scientia præfert,  
Et tria servili qualibet arte vides.

Humano princeps operans in quolibet actu est,

(a) Omnigeni est operis causa suprema Trias.

Proxima cunctorum sunt instrumenta laborum,

Sunt etiam doctis dicta Remota sophis.

(a) Communia totius Trinitatis sunt omnia creabilia, dicit D. Dion. cap. 2. de divinis  
nominibus.

## SYMBOLUM 3.

*Tria sunt omnia: & ipsum Ter in omnem partem se effundit.  
Arist. lib. 1. de cælo & mundo.*

**M**agnus Aristoteles, tria sunt, ait, omnia: constant  
Principio, medio, fineque cuncta suo.

Ju-



Judice me, potius dixiffes: omnia tres sunt;  
Omnia namque suo continet ente Trias.

(a) Omnia promanant tribus his, tribus omnia subsunt,  
Omnia principio fineque cuncta beat.

[a] Cujuslibet naturæ Creator est Deus, id est ipsa Trinitas, Pater & Filius & Spiritus  
S. Aug. l. 9. de Gen. ad lit. cap. 15.

SYMBOLUM 4.

Quidquid fit, fit vel a naturâ, vel ab arte, vel a casu dicit  
Arist.

Quot rerum natura parens operumque ministra?  
Causa sed illius prima, suprema Trias.

Artifici spectas quot concinnata labore?

Artibus omnigenis semen at illa dedit.

Plurima fortuitò fiunt, vel præter agentis

Intentum, Triadis non fine mente cadunt.

SYMBOLUM 5.

Tria in quolibet Artifice,

Natura, Doctrina, Usus. Aug. tom. 5. fol. 97. vel Ingenium,  
scientia, fructus.

Fœcundas Triadis fingit natura figuras,  
Dædaleæ fingunt & sua signa manus.

Ingenio cuivis operi est opus, inde magistrâ

Polleat arte labor, conferet usus opes.

Cernis ut occultâ fabricator imagine, summæ

Artifici Triadi seruiat, artis opus.



## SYMBOLUM 6.

*Tria in corporali creaturâ , Materia , Forma , Proprietas .*

**A**ngelus archetypus Triadis præfulget olympo,  
 Archetypus terris , est micro-cosmus , homo.  
 Quin & res reliquæ referunt vestigia Trini  
 Materiâ , Formâ , Proprietate , Dei.  
 Sic Trias ens simplex se sub velamine nobis  
 Hic cognoscendam præbet ubique Tribus.

## SYMBOLUM 7.

*Tria principia naturalia in fieri , Materia , forma , privatio .*

**F**actarum tria traduntur primordia rerum ;  
 E nihilo , primùm condita materies.  
 Moxquè secuturam præjens privatio formam,  
 Tamquam majori cedere nata locum.  
 Influxu Triadis (a) subjecto ritè parato ,  
 Entibus a reliquis forma sequestra datur.

(a) Insinuatuy animam rationalem qua est forma spiritualis per se subsistens non fieri per traducem, nec educi de potentiâ materia sed a solo Deo creari & corpori disposito infundi.

## SYMBOLUM 8.

*Tria sunt in composito , in facto esse ,*

*Materia , forma , Unio .*

**N**aturæ referans arcana scientia , monstrat  
 Hanc Triadem , ut Matrem , filia grata , suam.  
 Compositi structura tribus coalescit in unum ,  
 Materie , formâ , nexus utramque ligat.  
 Materies Pater est , Patrisque simillima forma  
 Filius , amborum forte ligamen Amor.

SYM-



## SYMBOLUM 9.

Tres entis proprietates,

*Vnum, Verum, bonum.*

(a) **Q**uidquid ab immensâ Triadis bonitate creatum,  
 Est unum, verum, vim bonitatis habet.  
 Est magis Una Trias, Vera, & bonitatis origo,  
 Entia quæ triplici proprietate beat.  
 Cuncta creata fluunt summæ Deitatis ab Ente,  
 Ad Triadem refluunt, sicut ad æquor, aquæ.

(a) *Quicquid fecisti domine, vidisti quod bonum esset. Sed quantum est ad te totius boni bonum, bonum simpliciter & totius boni? quod nomen, ut asserit Dion. de Div. nom. cap. 4. Theologi ex omnibus tibi Deo peculiariter applicant, ipsam tuam substantiam bonitatem appellantes.*

## SYMBOLUM 10.

Tres gradus entis,

*Esse, vivere, Intelligere.*

**E** Nihilo quæcumque Trias diffudit in orbem,  
 Aut sunt aut vivunt, aut ratione valent.  
 Sunt lapides, simul at vivunt animalia sensus  
 Nacta; genus vitæ vilius arbor habet.  
 Dignius his animal, summoque propinquius Enti  
 Natus homo, Triadis fit ratione capax.

## SYMB. 11. de eodem

**M** Ortiales; quo fine sumus, spe quæve creati?  
 Vita datur brutis, ingeniumque mihi.  
 Esse diu superesse solo natura negavit,  
 Esse Deus lapidi, vivere datque feris;

Aft



Ast homini ratione regi, Triademque tueri ;  
 Quid melius possit , nobilisque dari ?

*Inter gradus essendi supereminet intellectivus, quo nobilior dari non potest, utpote Deo  
 conveniens.*

## SYMBOLUM 12.

*Triples animæ vegetativæ operatio, Generatio, Nutritio, Aug-  
 mentatio.*

**I**Cona spectastis Triados, rationis in arce ;  
 En animæ triplex inferioris opus.  
 Hæc vivens generat, genitum post nutrit & auget,  
 Incrementa addens partibus æqua suis.  
 Tu Pater es Generans, das incrementa bonorum  
 Spiritus alme, tuo Corpore Nate nutris.

## SYMBOLUM 13.

Bonum consistit in tribus,  
*Modo, specie, ordine.*

**E**St a Patre modus, species ab imagine Patris,  
 Ordo sed a Sancto Flamme flante datur.  
 Absque modo, specieque, bonum, seu ordine, nullum est  
 Mensurâ, numero, pondere constat idem.  
**A** Triade omne bonum manat ; quo fonte, creati  
 Modus, ac species, & fluit, ordo, boni.

*Beda Rom. 11. Omnia autem quæ arte Divinâ facta sunt & unitatem quam-  
 dam in se ostendunt, & speciem, & ordinem. Oportet igitur ut Creatorem  
 per ea, quæ facta sunt, intellectum conspicientes, Trinitatem intelligamus,  
 cujus in creaturâ, quomodo dignum est, apparet vestigium.*



## SYMBOLUM 14.

Triplex bonum.

*Honestum, utile, delectabile.*

**Q**uem tangit virtutis honos, rectique cupido,  
Utilitatis habet, lætitiæque fatis.

Utile nec mundum, nec delectabile carnem

Exfariat, recti pax ab amore venit.

Est Trias utilitas satians, est vera voluptas;

Ad quam virtutis semita sternit iter.

## SYMBOLUM 15.

Tres corporum dimensiones,

*Longitudo, latitudo, spissitudo; seu, linea, superficies, corpus.*

**L**inea quid signat? Triadem notat esse perennem,  
Quis neget hanc longam? sine modoque caret.

Inde superficies spatij extensa per amplis,

Quam latè Triadis regna beata patent?

Corpus at immensæ Triadis portendit abyssum,

Absque ullo est fundo, tota profunda Trias.

*Unde Job cap. 11. Excelsior calo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terra mensura ejus & latior mari. Empedocles rogatus quid Deus esset, respondit: est circulus, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam.*

## SYMBOLUM 16.

*Triplex machina mundi.*

**A**spicis ut medio libretur in aëre tellus,  
Ac immota sui jussa Parentis agit.

(a) Utque sui cælum peragit mandata Tonantis,

Quod rapido, præceps spiritus, orbe rotat.

Æquor



Æquor agitque suos servato limite fluctus ;  
Sic Triadi paret machina lecta triplex.

(a) Illud diligentissime perpendo si ea qua inanimata sunt nec ullâ mercede potentur, ita legem tuam servant, quam posuisti eis, quid mihi faciendum, qui excellentiori modo tibi servo, nec in vacuum aut gratis, sed ad caelestia vocor dicit quidam vir pius. In psal. 118.

## SYMBOLUM 17.

*Tres distinctæ aëris regiones.*

**I**N superis varias Triadis perpende figuras,  
Nec pariunt modicas in feriora notas.  
Aëris est regio triplex, quæ proxima cælo,  
Altera quæ medio est; proxima terna solo.  
Ipsa Trias summâ cæli regione paravit,  
Tot gradibus ternis ad sua regna viam.

## SYMBOLUM 18.

*Tres terre Zonæ,*

*Torrida, frigida, temperata.*

**T**Res Trias in terris, quæ temperat omnia, Zonas  
Condedit haud ullâ conditione pares.  
Horrendo riget una gelu, torretur ab æstu  
Altera, temperie gratior illa magis.  
Ure Trias quemvis æstuque geluque malorum,  
Solari solita es, temperiemquè dare.

## SYMBOLUM 19.

*Tria in sole,*

*Lux, radius, calor.*

**S**uspice flagrantem cælos qui circuit orbem,  
Hic Pater est lucis, lux radiumque parit.

Cum



Cum radio spirat lux ipsa reflexa calorem,  
Quo foetam segetem foeta rependat humus.

In Triadis partu lumen de lumine fulget:

Hinc calor emanat, Spiritus, ignis, amor.

Ex Boëtio addo: Deus quæ sunt, quæque fuerunt, uno mentis cernit  
in istu, quem, quia respicit omnia solus, verum possis dicere solem.

SYMBOLUM 20.

*Ignis in tribus potissimum locis.*

**V**is ardens est Sancta Trias, quæ corda calescunt,  
Ignea ter geminis sunt elementa locis.

Fulget in æthereâ statione serenior ignis,  
Terra suis ignes usibus omnis habet.

Ad Triadem commonstrat iter vis excita sursum,  
Ultrices flammæ inferus orbis habet.

N. Ignis aptè significat Divinitatem, ideoque in ejus specie Deus sæpe apparuit. Primò quia est elementum subtilissimum; Deus autem est spiritus purissimus. Secundò quia ignis est lucidissimus; Deus autem est lux immensa Beatos illuminans, affectum delectans, actusque omnes Sanctorum dirigens Tertiò est calidissimus: Deus autem suo calore omnia vivificat, purgat, animat; imo cum vult irascitur, punit, adurit. Quartò quia est levissimus; Deus autem in altissimis habitat. Quintò quia est simplicissimus, talis maximè est Deus. Hinc Persæ & alij ignem coluerunt quasi Deum.

SYMBOLUM 21.

Aqua etiam in tribus locis,  
*Super caelos, in aëre, terrâ.*

**Æ**qualem per aquas Triadem signare sit æquum,  
Est aqua Grammaticis dicta quòd æqua fluit.  
Tres pueri ad Triadis laudem Babylonis in igne  
Invitant lymphas quæ super astra latent.



Æthere labuntur densis e nubibus imbres,  
 Ipsa suas tellus arida volvit aquas.

## SYMBOLUM 22.

Triplex cælorum motus,

*Raptus, proprius, trepidationis.*

**S**idereos immota Trias quæ condidit axes  
 Ter gemino cælos ordine, jussit agi.

(a) Corpora ab eo celeri sibi subdita cursu,

Raptat in hesperias mobile majus aquas;

(b) Tardiùs innato, & motu (c) trepidante rotantur;

Sic immota Trias motibus hisce patet.

*(a) Primum mobile spatio 24. horarum movetur ab oriente in occidentem secum rapiens inferiores orbis. (b) Qui proprio motu moventur ab occidente in orientem, sed non omnes aequè velociter. (c) motus trepidationis est a meridie in septentrionem, & vice versa.*

## SYMBOLUM 23.

Tria ex Fontanâ Scaturigine,

*Fons, rivo, flumen.*

**P**erspicias claris ut imago liquoribus insit,  
 Clarescit rivo, flumine, fonte, Trias.

Lymphidus excelsis fons rupibus exilit, inde

Defluit hic rivo, flumen utroque fluit.

Fons similis Patri: qui derivatur ab illo

Est Genitus, Flamen; quid nisi flumen erit?

## SYMBOLUM 24.

*Speculum Triforme.*

**S**I Triadem speculo vis assimilare Triformi,  
 Unicus in speculo vultus, imago triplex.

Gignitur



Gignitur in speculo se contemplantis imago ,

(a) Producit Verbum se specularando Pater.

Spiritus Ignipotens utriusque resultat amore ;

Hoc speculum , felix , si specularis , eris.

(a) Hinc Sap. 7. de Sapientiâ aeternâ, id est. Filio dicitur : candor est lucis aeterna, & speculum sine macula; quia Filius est Patris speculum, quod, in Filio tanquam in lympidissimo speculo reluceat Patris gloria & majestas.

SYMBOLUM 25.

Triplex tempus ,

*Præsens , præteritum , futurum.*

**C**onsilio Triadis tempus sapiente creatum ,  
Quo volitante fluunt cuncta creata solo.

Præteritum, præsens , aut est aliquando futurum ,

Obsequio Triadis temporis ordo triplex.

Tempore præterito, præsentem, brevique futuro ,

Æternæ Triadis culmen adire datur.

SYMBOLUM 26.

Tria in candelâ ,

*Cera , lychnus , ignis.*

**E**st icon Triadis non infima cereus ardens :

Cera ambit lychnum , perficit ignis opus.

Quis ceræ cum stuppâ usus si dempseris ignem ?

Quid juvat in Genitum cum Genitore fides ?

Perfectam cupis esse fidem ? tribuantur honores

Personis unâ cum Deitate tribus.



(207)

SYMBOLUM 27.

Tria in arbore

*Radix, ramus, fructus.*

**C**ernis ut occultâ radice affurgat in auras,  
Explicet hinc ramos arbor & inde suos.  
Ex utroque vides gratos procedere fructus;  
Est Triadis, signum nobile, planta virens.  
Sit Genitor radix, Genitus sit ramus, utroque  
Fructus procedens Flamen, ut arbor, erit.

SYMBOLUM 28.

Tres partes navis,

*Prora, carina, puppis.*

**A**nterior pars prora ratis Patris esto figura,  
Principium rerum quis neget esse Patrem?  
Ipsa carina basis mali, non denotat illum;  
Qui Crucis in malo tot mala nostra tulit?  
Spiritus in puppi celsus sedet: o Petre! navis  
Ne tua mergatur Pneumatis aura facit.

N. Quod in navi gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in civitate lex, in exercitu imperator, hoc idem est in mundo Deus, nisi quod in illis principatus est laboriosus, conturbatus & anxius; in Deo facilis, ordinatus, tranquillus. Arist. seu author lib. de mundo ad Alex.

SYMBOLUM 29.

Tria sunt in ovo,

*Cortex, albumen, vitellus.*

**M**agna Trias parvo, benè si perpendis, in ovo est,  
Materies aliquid discolor ista notat.  
Est ovi cortex æterni symbolon ævi,  
Exiguo summus fulget in orbe Pater.

Virgi-



Virgineam Verbi carnem circumfluus humor  
Indicat, & croceo Pneuma colore fluit.

## SYMBOLUM 30.

Tres in speculo per reflexionem vultus.

*Tres item soles aut, vultus in puteo; cùm tamen unicus sit.*

**I**N speculo vultum si contemplere; reflexum  
(Quod fors miraris) terque quaterque vides.

In puteo aut urnâ pariter tres inspice soles,  
Quos sol oppositis exprimit unus aquis.

Extorquet natura suis sic obvia signis,  
Supremæ Triados vique viâque fidem.

In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Est Theologicum axioma.

## SYMBOLUM 31.

*Tres soles in parelijs apparent & tamen unicus est sol.*

**O**B radios quandoque vides in nube reflexos  
Tres soles, verùm fallere sæpe solent.

Tres oculis parent, sol est tamen unicus author,  
Aëreis figens lumina Phœbus aquis.

Est sol in trinis solaribus orbibus unus,  
Tres subsistentes in Deitate pares.

## SYMBOLUM 32.

*Tres distincti colores in iride.*

**A**Spicis imbriferos & pacti fœderis arcus;  
Placatæ Triadis, symbola pacis habent.

Ordine digestos roranti in nube colores,  
Tres lux opposito sole reflexa parit.

Personæ



Personæ variant, majestas unica Trinis,

Unica sic arcu lux tricolore micat.

Misticè juxta S. Amb. lib. de arcâ & Noë cap. 27. Iris est clementia Dei, quæ primò quasi arcus contentus, sed carens sagittâ, per adversa quæ immitit, magis terrere vult, quàm ferire. Secundò Iris versicolor recreat, & imbres varios in terram effundit, ita facit & misericordia Dei. Tertiò Iris est semi-circulus in nostro hemi-sphærio tantû apparens: ita & Dei misericordia tantum apparet in hac vitâ, justitia verò in alterâ.

SYMB. 33. de eodem

**R**oriferis fulget tricolor sub nubibus arcus,  
Cæruleus, viridis, purpureusque nitet.

Est ætas æterna Patris signata virenti,

Cæruleo in terris lividus ore Deus.

Ignæus at Flamen Divis qui pectora flammis

Purpurat, en rubeâ luce notatus Amor.

SYMBOLUM 34.

Tria sunt causa motûs sursum

*Natura, violentia, artificium.*

**D**ecreto Triadis lectam super aëra sedem  
Ignea nativâ vis levitate petit.

At lapis impressâ virtute per aëra fertur,

Arcu vim fundâ, vel sibi dante, manu.

Flaminis in puras manant ita flumina mentes,

Fons velut occultis exilit arte tubis.

SYMBOLUM 35.

*Tres diei partes.*

**A**uras lux oriens concentibus implet, & aures,  
(a) Est veneranda Trias laudibus orta tuis.

In-



Instructasque tuo lustrat quot munere mensas,  
 Tot tibi lux grates dimidiata refert.  
 Lux oritur jussuque tuo procedit eodem,  
 Occidet, (b) at numquam laudibus orba tuis.

*(a) Vespere, & mane, & meridie narrabo & annuntiabo laudem tuam, ps. 54. (b) juxta illud: benedicam Dominum in omni tempore. Et: in omnibus gratias agamus Deo. Hinc S. Aug. in psal. 132. laudat morem veterum, qui frequenter habebant in ore; Deo gratias. Etque se invicem salutabant: uti & D. Virginem. Obvios salutasse quidam tradunt.*

## SYMBOLUM 36.

Lacuna herba cui nomen trinitas,

*Quod tria tantum folia producat.*

**S**I propius Triadem mens est cognoscere, prodit  
 Frondibus assurgens una Lacuna tribus.

Personas frondes proprio tres nomine, Numen  
 Unum, signatus ramus & unus, habent.

Si foret hæreseon fex Arriana superstes,  
 Inficias iret, vel dubitaret adhuc?

## SYMBOLUM 37.

*Oxalus gemma, teste Plinio l. 3. c. 37. unico momento tres distinctos colores dat conspiciendos. Ab uno latere apparet ignitus, & representat carbunculum. Ab altero rubicundus: oblique si videris, viridem smaragdum putabis.*

**A**Spicis hunc trino lapidem fulgere colore,  
 Quas jacet æthereâ fulgur ut arce faces.

Parte vibrans unâ, veluti carbunculus, ignes;  
 Altera purpureo tota colore rubet.

Pars obliqua refert viridem fulgore smaragdum.

An non in Triadis condita gemma fidem?

S.Y.M.



(211)

SYMBOLUM 38.

Tria in latere

*Aqua, argilla, ignis.*

**N**on patitur Triadis, later hæc arcana latere,  
Eruit e latebris, clariùs inde micant.

Constat aquâ later, argillâ, lapis ustus & igne:

Jam Monas atque Trias, quæ latuère, patent.

Arte rudi Nicolae doces, mollique labore

Arrianorum pectora dura domas.

N. S. Nicolaus in Concilio Nicæno contra Arrianos Trinitatem defendit arrepto latere dicens: tria in hoc diversa sunt; aqua, argilla, ignis, & non nisi unus later. &c.

SYMBOLUM 39.

*Tres plicæ ejusdem vestis seu togæ.*

**P**lurima terrigenæ sunt sensibus obvia nostris,  
In quibus una Trias, tria Monasquæ datur.

Contemplare togam nostræ quæ molis amictus;

Unius & Trini symbolon hæcce Dei.

Trinus Personis, immultiplicatus in Esse,

sic eadem numero, sed tri-plicata, toga.

SYMBOLUM 40.

*Polium seu Tripolium, aliàs turbit, herba est in locis marinis nas-  
cens quæ undâ alliduntur, colorem florum quotidie mutat, ma-  
ne in candidum, meridie in purpureum, vespere in puniceum.*

*Plin. lib. 27. cap. 7.*

**M**agna Trias modicâ voluit sub fronde videri,  
A Mauris Turbit nomen habere ferunt.

Candet



Candet ubi niveam sol tollit ab æquore frontem,  
 Lucis, at hunc medio purpurat orbe, Pater.  
 Puniceos sumit declivi lumine vultus,  
 Firma Trias moto cuncta sub axe, movet,

SYMB. 41. de eodem.

**Q**ualibet ut polium mutat ter luce colorem  
 Fixa manens, variat tempora nostra, Trias.  
 Esse, fuisse, fore, humanæ sunt tempora vitæ,  
 Semper ut & Trino competit *Esse* Deo.  
 Quod fuit, est, & erit, Triadis peragantur honori,  
 Nil aliàs prodest esse, fuisse, fore.

SYMBOLUM 42.

*Trimyxa, id est, lucerna tribus lucens ellychnijs*

**Q**uàm densis humana jacet mensmersa tenebris?  
 His tamen arcendis ecce lucerna Trias.  
 Hęc circum-rutilis defertur quaque caballis,  
 Emicat in myxis unica flamma tribus.

Tot circumfusis erroribus atque tenebris

(a) Sis laterna viæ, Duxque trimyxa Trias.

(a) Non extinguatur in nocte lucerna mea, luceat semper, & ardeat, ut quemadmodum decet filium lucis, ambulem; & cum veneris ac pulsaveris, confestim aperiam tibi.

SYMBOLUM 43.

*Triophthalmus Lapidus qui in Sicyoniâ nascitur, trium oculorum effigiem præ se ferens. Plin. lib. 37. cap. 11.*

**E**cce Triophthalmo Trias effigiata lapillo;

Hic Sicyonio nascitur orbe lapis.

Tres oculi signent discrimina Personarum,

(a) Unio at unitas in Deitate refert.

¶ i

Non-



Nonne lapis triplici qui circumfulget ocello ;  
Symbolon hic Triadis (b) cuncta videntis habet ?

(a) Lapis pretiosus. (b) sic ergo vive, inquit Seneca epist. 10. cum hominibus, tamquam Deus videat: loquere cum Deo, tamquam homines audiant. Et Clem. Alex. hac solum ratione fit, ut quis numquam labatur, si Deum sibi ipsi semper adesse existimat.

## SYMBOLUM 44.

Tres propagines in unâ vite, sicut Gen. 40. vidit Pincerna Pharaonis.

**I**Nvenit vitam (a) Ganymedes regius olim  
In vite, (b) unde suam plurima turba necem.  
Uva triplex vitis Triadis pia Viscera monstrat,  
Justitiam pariter terna canistra notant.  
Propago triplex unâ de vite resultat ;  
Sic datur en unâ sub Deitate Trias.

(a) Ganymedes fuit formosissimus puer, quem poëta sinxerunt jussu Jovis in caelum ab aquilâ portatum, ut ei a caliculis esset. (b) Vinum esse venenum corporis & mentis, notat S. Ambr. lib. de Eliâ & Fejanio cap. 14.

## SYMBOLUM 45.

*Tria grana aurea quæ lilio certo innituntur.*

(a) **I**N niveo quot grana vides flaventia flore  
In Trini titulos discis amore Dei.  
Est ut origo Pater, rerumque Creator amandus,  
Principium cunctis e bonitate dedit.  
Gnatus ceu animæ Reparator dignus amore,  
Donum ceu omnis fonsque datorque boni.

(a) Lilia sunt triplicia, candida, rubentia, purpurea, & tribus interdum cubitis alta. Plin. lib. 20. cap. 5.



In lilijs si colorem spectes puritatem, si odorem suavitatem, si aureas intus virgulas Divinitatem intellige, inquit P. Claud. Aqua viva medit. in psal. 44.

Tria illa grana in concavo lilij, mysterio non carent. Et quia aurea, tres motus divini amoris, in virtute castitatis jugiter servandos innuunt. Amandus est Deus ut Creator, ut Redemptor, ut copiosissimus Remunerator. Bern. tres qualitates amoris Divini insinuat. Disce, inquit, amare Deum dulciter ne illectus, prudenter ne deceptus, fortiter ne oppressus ab amore Dei absterrearis ita Noster Pincharius Vest. Nupt. lib. 2. cap. 16.

Nota. Tria præcipua nomina quæ attribuuntur singulis personis. Prima vocatur Pater respectu Filij, Principium respectu Filij & Spiritus S. Ingenitus seu innascibilis quia non est ab alio. 2da Vocatur Filius respectu Patris, Verbum quia producit per intellectum, Imago quia visus generationis est similis Patri producenti.

Tertia vocatur Spiritus, quia est amor per voluntatem a Patre & Filio spiratus, & ideo etiam vocatur Amor, & Donum, quia amor est id quod primò donatur, de quo latius Theologi. 1. p. Possent plura ex naturalibus petita hinc adferri, quæ etiam magis fortè accommodata forent; & simul Circum in sessionem divinarum Personarum repræsentarent. Cujusmodi sunt, si tria corpora per absolutam Dei potentiam ponantur in eodem loco, illa manebunt a se invicem distincta, & tamen se invicem penetrabunt. Item in eodem melle, vino, pomo &c. est color; odor, sapor, ita ut reciproce unum sit in alio.

Item



*Item lumina trium candelarum possunt in eodem spatio se invicem permeare & tamen realiter distingui. Sed hisce modo supersedentes, aliàs fortè latius pertractanda, nobis aut alijs reservamus.*

## Coronis Elogiorum ternariorum ad

### S.S.S. TRINITATEM.

**O**Rigo rerum, terminus simul, Trias.  
 Immensa virtus, summa Majestas Pater;  
 Idea, Proles, Veritas, Verbum Patris;  
 Communis Ardor, Nexus Amborum, Deus  
 In Unitate Trinus, Unus in Tribus.  
 Contemplor Unum, -fulgeo circum-Tribus;  
 Supplex adoro dumque Tres, unà feror  
 Pernix ad Unum. Fingo nil dispar ubi  
 Totum est supremum. Nil hians ubi integrum  
 Totum est. Abundè & affluens ubi nil egens.  
 Nec superabundans in Tribus est, in singulis  
 Nec imminutum. Par potestas in Tribus.  
 Suprema Bonitas, Te quis o dignis queat  
 Efferre Numen Laudibus, titulis, modis?  
 A te creatum distat ens summo, magis,  
 Seu increato, quàm vel umbra corporis  
 A mole, nil ab ente. Vermiculi sumus,

Coram-



Coramque Mājestate sublimi tuā  
 Cinis, umbræ imago, veriùs dicam, nihil,  
 Humana si conferre Divinis licet  
 Seu ima summis; more Lactantis, mihi  
 Fas esto balbutire: quamquam Tu magis  
 Veneranda casto Trinitas silentio,  
 Quæ sola soli nota perfectè Tibi es.  
 Divinitatis es triangulus; Trias  
 Trismacaria; Triformis es Relatio,  
 Triumviratus ut ita loquar Homousij.  
 Tu Pantocrator Digitus, Anima ter potens,  
 Fulmen trifulcum, cuncta diffringens triplex  
 Gladius; es Arbor trifida, Triphyllum poli,  
 Parelion trilustre, sol trifulgidus,  
 Lampas trilucens, Ignis & triflammeus,  
 Triquetra Dioptra, Triglyphon elegantia,  
 Triforme speculum, Pulchritudinis trias,  
 Trigonum Alpha, Trina Vox, Trinus Tonus,  
 Trivium invium sapientia, Fons tristomos,  
 Triembola arx, Triglotton eloquentia,  
 Tribrachium potentia, Triclinium  
 Ambrosia; Triremis es abyssi, Tridens  
 Creationis, totius Tripondium  
 Aeternitatis, & Tripus substantia;  
 Trioculus es ubique Providentia,  
 Summa trivertex celsitudinis, poli  
 Tripolis, Triculmen gloria, coelestium

Pala-



Palatiorum Tristegum, Tridactylus  
 Manus, Triradius lucis, Irisque tricolor,  
 Trimetrum patriæ, licium immensum trilix,  
 Funis trinodis, Hasta findens cordium  
 Fibras tricuspis, Entis omnis Trimodius,  
 Adamas Trigemmis, ac honorificentæ  
 Tricosmus; es Tricoronis imperij Trias,  
 Jehova Trinus, omnium Alpha & O Mega.

Oratio Chronica atque devota ad  
 SSS. TRINITATEM.

beneDICta sis o aVgVsta & ter aLMa trilas,  
 LaVDABILis & gLoriosa sVper oMnes Deos.  
 o CoLenDa Monas trIVna, & trilas VnIterna.  
 es pater IngenItVs, proDVCens aMbas aLIas personas,  
 o VnIgena, soLa proDVCentIs IMago,  
 o aMor, ab VtroqVe genItore & rILlo proCeDens:  
 tres LICet personæ, Vna & eaDeM estIs sVbstantIa,  
 A qVâ nos CreatI, (a) reDeMptI, saLVatI,  
 qVæ aD LaVDestIbI offerenDas, nos CreastI,  
 CorDa nostra gratIæ LVMIne præVenI,  
 Vt sIMboLa qVæ nobIs Ignota CreDentes,  
 saLVI fIDe fanCtâ flaMVs.

te spIritVs & anIMæ Cælestes DeVotè  
 aDorant LaVI ant atqVe sine fine præDICant.


(a) Intellige tamquam a causa prima. Vide D. Tho. 3. p. 4. art. 5.

De-



DeLeCtet Me IVgIter VenerarI te:  
 tIbI enIM Debet Vr LaVs aC honor,  
 o sIMpleX aC trIna Deltas.  
 saLVa nos, CVstoDI nos, MISerere nostrI,  
 Da te fr VI æternVM In Cælls.

F I N I S.



OMISSA ET ERRATA PRINCIPALIORA.

Pag. 5. Symbolo 9. addatur.

Gen. 18. Accclera, tria fara similæ commisce: ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerimum. S. August. dicit vitulum fuisse trimum in hunc locum sic loquens: Quia Trinitatis gloria refulget, trimum attulit vitulum pater, tres mensuras similaginis consperxit futura mater paritura filium.

Pag. 6. Symb. 13. addatur.

Ecce triplex virgarum fasciculus ob oculos ponitur, ut sub auspicio Trinitatis nulla virtus non affluat, nullum bonum queat desiderari. S. Amb. Gen. 30. de tribus virgis Jacob.

Pag. 103. Symb. 14. addatur.

Leo Imperator suis militibus commendavit, ut per totum exercitum indies *Trisagium* carmen, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, mane & vesperi devotissimè recitarent. Baron. anno 911.

Pag. 115. Symb. 44. addatur.

B. Mechtildis edocta divinitus, ut ad satisfaciendum in diebus Bacchanaliorum pro tot blasphemijs, quæ passim ubiquè tum effunduntur in Deum, multoties proferret devotè hanc doxologiam: *Tibi decus & laus, Tibi gloria & honor, Tibi gratiarum actio* o B. *Trinitas in sæcula sæculorum*, Spirit. grat. lib. 4. cap. 17.

Eadem virgo aliquando conspexit ingentem a Deo impetrari & donari benedictionem ob glorificationem Sanctiss. Trinitatis, lib. 2. cap. 28.

Pag. 126. Symb. 2. addatur.

Dum monachus quidam in choro sub nocturno dormitaret officio & caput non humiliaret ad Gloria Patri &c. apparuit Angelus dicens: *Flecte caput, eò quòd dicas Gloria Patri*: Diabolus verò ab alterâ parte, ne flecteret, contendit. Vallens. in Dietario.

Item refertur de D. Virg. quod inclinantibus devotè ad hanc memoriam Trinitatis, suum



suum ipsa filium obtulerit: quemdam verò minimè inclinātem, averſo ab eo vultu, velut indignum hac gratiā, pertransierit.

Item dum D. Virgo quadam vice chorū pertransijt suum verticem reverenter submisit, & usque dum Choristæ *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto*, decantassent permanſit inclinis. Spec. Exemp. dist. 3.

Pag. 164. Symb. 9. add.

Ventum est ad Triarios; quia per hos amissa quasi victoria reparabatur. Sic in divinis officijs, quod amissum & neglectum propter dispersas cogitationes & distractiones, quando ventum est ad Triarios, id est. glorificandam Sanctiss. Trinit. per *Gloria Patri &c.* revocandæ sunt omnes animæ vires, & affectus dispersi recolligendi, devotionis fervor reluscitandus, ut, quod perditum, recuperetur. Adri. vander Donck in Seraphim Chor. pag. 130.

Pag. 185. Symb. 15. add.

Sigisbertus Lugdunensis Epif. cum multis votis optasset ut aliquid sibi Reliquiarum Sanctiss. P. Augustini consequi concederetur; quadam die cum in oratorio suo paululum obdormisset, apparuit ei Angelus Domini adferens cor S. Augustini Phialæ vitreæ pretiosæ, quæ pede aureo nitebatur, inclusum, qui ait illi: *Sigisberte, cor D. Augustini cor: noluit enim Dominus corrumpi, quod tanto erga ipsum amore flagravit, & tam pie erga Trinitatem fuit affectum: mittitque illud Tibi, ut solatio fit tam Tibi, quàm reliquis omnibus diligentibus eum.* Et his dictis disparuit. Et cum in gratiarum actionem cantaretur Hymnus: *Te Deum laudamus* & in eo pronuntiaretur *Sanctus, Sanctus, Sanctus* cor illud manifestè visum est dilatari atque spirare. Nuptiæ Agni Parte 2. Exhort. 14.

Pag. 10. lin. 13. in prologio addatur: vel vestigium, in acclamatione secunda lin. 13 corrige Unigenam. Pag. 14. lin. 12. lethifero. Pag. 119. lin. 19. Leonem tertium. Pag. 123. lin. 1. sublata. Pag. 136. lin. 27. adde: *est ante testificans*

Pag. 141. lin. 21. adde: *terris.* Pag. 179. lin. 23. adde; *formaliter eminenter,*



# ELENCHUS SYMBOLORUM.

## DIVISIO PRIMA.

Ex Scripturis.

### SUBDIVISIO I.

Ex Scripturis veteris Testamenti.

Symbolum 1.	Adam, Eva, Seth.	pag. 1
2.	Adam, Eva, Abel.	1
3.	In principio creavit Deus cœlum &c. Spiritus Dñi ferebatur super aquas.	1
4.	De eodem, alio sensu.	1
5.	Faciamus hominem ad imaginem nostram.	2
6.	Tres camerae in arca Noë.	2
7.	Tres filij Noë.	3
8.	Tres propagines vitis, tria canistra, & tres dies in somnio Joseph.	3
9.	Tres speciales Patriarchæ. Abraham, Isaac, Jacob.	4
10.	Tres Angelos vidit Abraham.	5
11.	Tria fata similæ.	5
12.	Vacca triennis, Capra trima &c.	6
13.	Triplices virgæ Jacob.	6
14.	Ego sum, qui sum.	7
15.	Nomen tetragrammaton.	7
16.	Tria signa Moyſis & triplex conversio.	8
17.	Tres liberati è flammis Sodomæ.	9
18.	Tres viri orantes	9
19.	Tres dies in solitudine	10
20.	Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, mente, viribus.	10
21.	Tria præcepta primæ tabulæ.	11
22.	Omnis masculus ter in anno apparebit.	11
23.	Die tertio descendit Dominus.	12
24.	Tres percussiones asinæ a Balaam. Quomodo efformata vox asinæ.	13
25.	Tres à terrâ absorpti.	13
26.	Tres civitates refugij.	14
27.	Tertia generatio.	14
28.	Triplices decimæ.	15
29.	Tria arma Davidis.	16
30.	Tres sagittæ Jonathæ.	16
31.	David tertio procumbens adorat Jonathan. Tres filij Saülis.	17
32.	David sapientissimus inter tres	17
33.	Trinæ vocationes Samuëlis, & quid allegoricè significant.	18.

K k

34. Tri



INDEX

34.	Tria signa Sauli à Samuèle data, tres hoedi, tres tortæ panis quid significet.	19
35.	Post diem tertium transibitis Jordanem.	20
36.	Tres viri e singulis tribubus.	20
37.	Tres Vituli & tres modij farinæ.	21
38.	Tres Sacerdotes, Moyfes, Aaron, Samuël.	21
39.	Trium datur optio Davidi.	22
40.	Tres fortissimi viri & quid illi præfigurarint	23
41.	Tria in arcâ fœderis.	23
42.	Tres menses, quibus fuit arca in domo Obededom, qualis figura aræ, quid arca significet.	24
43.	Tres Lanceæ Joab, quare David planxerit filium.	ibid.
44.	Elias tribus vicibus mensus est super puerum, quid significet.	25
25.	Triples perfusio aquæ super holocausta, & quid allegoricè significet.	ibid.
46.	Tres Jesus seu Salvatores veteris testamenti, quis verus Jesus.	26
47.	Tria bona opera.	27
48.	Tres horæ, quibus tres personæ benedicunt Dominum.	ibid.
49.	Tertio anno imperij sui Assuerus fecit grande convivium.	28
50.	Tres dies & tres noctes, quibus jejuna Ester.	ibid.
51.	Tres amici Job, & disputatio cum eis.	29
52.	Tres Filiæ Job, & nomina earum & quid designent.	ibid.
53.	Magnus Dominus, Fortitudine, Judicio, Justitia.	31
54.	Tripliciter homo beatus, & quomodo hoc de Christo intelligendum.	ibid.
54.	A fructu frumenti, vini, olei, quomodo hoc de Christo.	32
55.	Deus justus, fortis & patiens.	ibid.
56.	Verbo Domini Coeli firmati sunt & Spiritu oris &c.	33
57.	Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.	ibid.
58.	Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me.	34
59.	Dixit Dominus Domino meo.	ibid.
60.	Deus omnia disposuit in numero, pondere, mensura.	35
61.	Dilectus meus candidus, rubicundus, electus ex millibus.	ibid.
62.	In tribus placitum est Spiritui meo.	36
63.	Funiculus triplex difficilè rumpitur.	ibid.
64.	Tria sunt difficilia mihi.	37
65.	In duobus est contristatum cor meum, in tertio iracundia.	ibid.
66.	Trecenti viri.	38
67.	Ter Sanctus. Unde Hymni Trinit. laudantes.	ibid.
68.	Sicut tres dies ambulavit servus meus &c. quid hoc denotet.	39
69.	Qui appendit tribus digitis molem terræ?	40
70.	Trinum A	ibid.
71.	Tres conditiones juramenti liciti.	41
72.	Terra, Terra, Terra.	ibid.
73.	Ezechiël vidit in curru gloriæ tres species.	42
74.	Tres viri justii.	ibid.
75.	Tres pueri.	43
		79.



## INDEX

76.	Trium puerorum hymnus.	ibid.
77.	Tria tempora, quibus Daniël orabat.	44
78.	Tres principes Darij.	ibid.
79.	Tres aulici certantes super tria fortissima.	ibid.
80.	Mane, Thekel, Phares, quomodo Babylon capta.	ibid.
81.	Tres dies & noctes, quibus Jonas fuit in ventre Ceti.	45
82.	Et succidi tres Pastores mense uno.	46
83.	Columba ter ex Arca Noë emissa.	ibid.

## SVBDIVISIO SECUNDA

Ex locis Novi Testamenti evidentibus.

*In veteri Testamento non fuit clara notitia SSS. Trinit.  
sicut in novo, & quare.*

Pag. 48

Symb. 1.	Euntes baptizate in nomine Patris, & Filij & Spiritus S.	49.
2.	Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua &c.	ibid
3.	Dixit Petrus ad Jesum. Domine bonum est nos hic esse.	50
4.	De eodem, ac tribus specialibus Christi discipulis.	ibid
5.	Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis. Cur	57
6.	Cum venerit Paracletus &c.	ibid.
7.	Tres sunt, qui testimonium dant in cælo.	52
8.	Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.	53
9.	Gratia Dom. nost. I. C. &c.	ibid
10.	Tria in salutationibus Paulinis. Apparuit benignitas & humanitas salvatoris nostri, &c. Cur Patri attribuatur humanitas vel philanthropia, Filio gratia, Spiritui communicatio.	ibid. 54
11.	Quoniam per ipsum habemus accessum ad Patrem.	ibid
12.	Veri adoratores adorent Patrem in spiritu & veritate.	95

## SVBDIVISIO TERTIA

Ex locis Novi Testamenti minùs evidentibus

Symb. 1.	Triplex mundi status: Nature, Scripturæ, gratiæ	55
2.	Triplex salutatio D. Virginis.	56
3.	Tria mira, ac tres menses.	ibid



## INDEX

4.	Tria nomina D. Virginis.	57
5.	Tres Angeli nominatim ad terram missi, alia quædam Angelorum nomina reijciuntur.	57
5.	<i>B. Virgo triennis præsentatur.</i>	58
6.	Virgini Ante, In, Post partum tria annuntiantur.	58
7.	Tria mira in partu D. V.	58
8.	Tria quæ dicitur observasse D. V. priusquam loqueretur.	56
9.	Tria maxima privilegia D. Virg.	59
10.	Tres dies, quibus canunt Angeli assumptâ D. V. in cœlos.	60
11.	Tres causæ incarnationis Filij Dei.	60
12.	Tres speciales civitates Christi.	61
13.	Tres nativitates Christi, quomodo SSS. Trin. prima Virgo	61
14.	In memoriam triplicis nativit. tres missæ in natali Domini.	62
15.	Tres Pastores Bethlemitici.	62
16.	Tres in stabulo Jesus, Maria, Joseph, quid allegoricè significant.	62
17.	Tres fugiunt in Ægyptum.	63
18.	Trium Magorum, tria munera,	63
19.	Tria miracula sub Epipha.	64
20.	Christus positus in ruinam, resurrectionem & signum.	64
21.	Tertio die nuptiæ in Canâ Galil. quot species nuptiarum.	65
22.	Tres metretæ, quid per metretas intellig.	65
23.	& 24. Christus triduo quæsitus in D. D. cur manserit in templo.	66
25.	Proficiebat Sapientiâ Ætate, Gratia, qualiter.	66
26.	Christus triginta annorum, 3. annis prædicat.	67
27.	Triplex fructus seminis.	67
28.	Testimonium trium.	68
29.	Tres panes.	68
30.	Triplex Eunuchi.	69
31.	Tres excusatores à nuptijs.	69
32.	Ecce jam triduo sustinent me.	70
33.	Tria exigit imitatio Christi.	70
34.	Tria præmia Christum diligentis.	71
35.	Si in 3tia vigilia venerit	71
36.	Ego sum Via, Veritas & Vita.	71
37.	Christus tres nominatim mortuos resuscitavit.	72
38.	Christus ter lacrymatus est.	72
39.	Tentator Christi tres lapides in panes petit converti.	73
40.	Triplex tentatio Christi.	ibid.
41.	Christus post tertium prædicationis annum moritur.	ibid.
42.	Solvite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud.	74
43.	Triplex oratio Christi in passione.	ibid.
44.	Christus tertio dixit volentibus se capere: <i>Ego sum.</i>	75
45.	Ter gallus cantat, ter Petrus negat.	ibid.
46.	Tribus rebus offendit, iisdemq; placat Magdalena.	76.
47.	Tres Christi iudices.	ibid.
48.	Ter Christum Pilatus defendit.	ibid.
49.	Christus jussu Pilati nudatur, ligatur, flagellatur,	77
		50. Christus



## INDEX

50.	Christus inter duos latrones medius.	ibid.
51.	Tres linguae principes in cruce.	ibid.
52.	De tribus titulis in cruce.	78
54.	Christus tribus horis vivus in cruce pender.	76
55.	Tria in Christo crucifixo spirant amorem.	ibid.
56.	Tres Mariae in monte Calvariae flentes.	ibid.
57.	Tribus horis tenebrae factae sunt sub mortem Christi.	80
58.	Tria mira in Eclipsi sub mortem Christi.	ibid.
59.	Christus tribus diebus in sepulchro	81
60.	Christus a resurrectione apparet tribus mulieribus habentibus tres pyxides.	ibid.
61.	Christus redivivus ter pacem Discipulis precatur.	82
62.	Christus ter dicit Petro : Simon Joannis diligis me ?	ibid.
63.	Tres e terris assumpti sub finem mundi reverfuri.	83
64.	Spiritus S. hora diei tertia mittitur.	ibid.
65.	Tria millia S. Petrus convertit, & tribus actibus pietatis conservat :	84
66.	Saulus triduo non videt nec manducat, nec bibit.	ibid.
67.	Ter dictum Petro : Macta & manduca.	ibid.
68.	S. Paulus ter virgis ceditur semel lapidatur, ter ingeminat nomen Jesus dum moritur tres milites apparitores convertit, tres caput resectum saltus in terra dedit, & quolibet saltu fontem elicit.	85
69.	& 7 . S. Paulus ad tertium caelum rapitur.	ibid.
71.	S. Paulus Ephesi loquebatur per tres menses.	86
72.	Ter naufragium fecit.	ibid.
73.	Ter Dominum rogavit.	87
74.	Tres apostoli dant sibi dexteras societatis.	ibid.
75.	Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem in crementum dedit &c.	88
76.	Nec oculus vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit &c.	ibid.
77.	Spectaculum facti sumus Deo, Angelis, & hominibus.	89
78.	Ego tertio paratus sum ad vos venire.	ibid.
79.	Tria epitheta & signa charitatis.	90
80.	Tria Una.	ibid.
81.	In nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium & infernoorum, & varia de nomine Jesu.	91
82.	Sobriè, justè, piè vivendum.	ibid.
83.	Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.	92
84.	In ipso vivimus, movemur & sumus.	ibid.
85.	Tres sunt qui testimonium dant in terra.	93
86.	& 87. Triplex radix peccati,	ibid.
88.	Regnum Dei est justitia, pax & gaudium in Spiritu S.	95



INDEX

DIVISIO SECUNDA

Ex Historijs & Exemplis.

SVBDIVISIO PRIMA

Ex Historijs.

Symb. 1.	Trinitas apostolorum trifariam Cræcifixorum.	Pag. 97
2.	Tres fenestræ S. Barbaræ.	ibid.
3.	Tres mortui a S. Martino suscitati.	93
4.	Tres filiæ triplici auri pondere dotatæ, a S. Nicolao.	ibid.
5.	Tres tribunos a capitis supplicio S. Nicolaus liberat. Item ter quavis hebdomadâ ab uberibus abstinet.	99
6.	Triples fulmen, quo Olympius exurit.	ibid.
7.	Tres calami Valentis Imperatoris.	100
8.	Triduum S. Cæcilie, quo superest a trina percussione.	100
9.	Tres rosæ S. Dorotheæ.	ibid.
10.	Tres cruces S. Helenæ Imperatricis.	101
11.	& 12. Quiriacus triplici titulo beatus interficitur.	ibid.
13.	Tres collegiæ Ecclesiæ in Germania a S. Helena ædificatæ.	102
14.	Trifagion Angelicum.	103
15.	Tres filiæ S. Sophiæ.	ibid.
16.	Tres digiti, quibus S. Augustino scribenti SSS. Trinitas imaginem suam revelat.	ibid.
17.	Triâ vota S. Augustini.	104
18.	Trinus & Unus gradus ad Deum.	ibid.
19.	Tres paris quantitatis guttæ in unum coeunt.	105
20.	Trina victoria, qua Cosroës superatur.	ibid.
21.	Tres soles in unum coeunt.	109
22.	Tres cruces pavimento infixæ.	ibid.
23.	Tres panes Mariæ Ægyptiacæ.	107.
24.	Ter eadem ab ingressu templi repellitur, & trigiuta annis absq; esu exegit.	ibid.
25.	Triennium quo latitat S. Benedictus.	ibid.
26.	Tres speciales virtutes S. Bernardi.	108
27.	Tres aliæ virtutes, quibus tres Sancti viri excelluerunt.	ibid.
28.	Triduum exequiarum Doctoris Sorbonici.	109
29.	Liber S. Dominici ter resilit ex igne.	ibid.
30.	S. Dominicus ter quavis nocte se flagellat.	ibid.
31.	Triâ templa a S. Francisco restaurata.	110
32.	Tres mulieres pauperulæ eidem apparent.	ibid.
33.	Idem ter aperto evangelio a SSS. Trinitate triâ vota religionis auspicanda docet.	111



## INDEX

34.	Tres auri partes, quas S. Franciscus SSS. Trinitati offert.	ibid.
35.	Christus tribus telis volens perdere mundum a tribus impeditur.	ibid.
36.	Tres coronæ S. Petri martyris.	112
37.	Tria lilia S. Aegydi.	ibid.
38.	Triples ordo ad caelos ascendentium, ac cruces portantium.	ibid.
39.	Tres tiliæ S. Adiliæ.	113
41.	Tertium iter Hierosolymitanum ac Romanum B. M. Theodori de Cellis.	ibid.
42.	Triples animarum Deo devotarum status.	114
43.	Tres rivuli procedentes a SSS. Trinitate.	ibid.
44.	Tres diēs antecinerales.	117
45.	Trina apparitio trium Virginum.	ibid.
46.	& 47. & 48. Trina apparitio S. Odiliæ.	116
49.	Reliquiæ S. Odiliæ huius tribus locis perhonorificè excipiuntur.	117
50.	Tres patroni Ordinis Sanctiss. Crucis.	ibid.
51.	Tres abbates Sanctitate conspicui.	118
52.	Tria capita in Abbatia Cladbach.	ibid.
53.	Tria ibidem brachia.	119
54.	Tres globuli carni B. Claræ de monte Falco.	ibid.
55.	Tres coronæ S. Elisabeth.	120
56.	& 57. Triples via ad Deum, quam monstravit S. Ignatius de Loyola.	ibid.
58.	Trina quotidie ejusdem Sancti Flagellatio.	121
59.	Triples beneficium ejusdem Sancti divinitus acceptum.	122
60.	& 61. Tria regna, pro quorum conversione extremè laborat S. Xaverius.	ibid.
62.	& 62. Tres Reges ab eodem Sancto conversi.	123
64.	Tres proto-Martyres S. I.	ibid.
65.	Tres Primores regij baptizati, & trium SS. Regum nominibus appellati.	124
66.	Trium Regum mater cum filia & nepte convertuntur.	ibid.
67.	Triples & Unus religiosus Ordo sub titulo S. Crucis.	ibid.

## SUBDIVISIO SECUNDA.

### Ex Sacris & moralibus.

Symb. 1.	Crux formatur: In nomine Patris, & Filij Spiritus Sancti.	pag. 126
2.	Gloria Patri & Filio & Spiritui S.	ibid.
3.	Tria debemus Deo,	ibid.
4.	Tria debemus proximis.	ibid.
5.	Tria debemus nobis ipsis,	ibid.
6.	Tria media, quibus puritas animæ comparatur.	127
7.	Unum & Trinum baptisma,	ibid.
8.	Trina mersio in baptismo.	ibid.
9.	Tria vulnera naturæ lapsæ.	ibid.
10.	Trinitas, a qua homo excidit.	129
11.	Trinitas quæ cecidit.	ibid.
12.	Trinitas, in quam cecidit.	ibid.



## INDEX

13.	Trinitas, per quam cecidit.	ibid.
14.	Tres authores mali & totidem boni.	ibid.
15.	Tria pessima.	130
16.	Tria optima.	ibid.
17.	Tria, quę meliüs fieri nequeunt.	ibid.
18.	Trinitas nos redimens.	131
19.	Triplices Christi actiones.	ibid.
20.	Tria sunt Anagrammaticę in nomine Jesus.	ibid.
21.	Tria beneficia crucis	132
22.	Crux nobilis super omnes alias arbores tripliciter.	133
23.	& 24. Triplex effectus gratię.	ibid.
25.	26. Tres vię spiritalis vitę.	154
27.	Triplex visio SSS. Trinitatis.	135
28.	Tres proprietates animę glorificatę.	ibid.
29.	Tres aureolę Sanctorum.	136
30.	Tres virtutes Theologicę.	ibid.
31.	Triplex iustitia.	137
32.	Tria Evangelica Confilia.	ibid.
33.	Tria Angeli Custodis in nos officia.	ibid.
34.	Tres Angelorũ Hierarchie, & in qualibet tres ordines, ac tria officia.	138
35.	Triplex cognitio Angelorum.	139
36.	Tres cultus.	ibid.
37.	Triplex Ecclesia.	140
38.	Tres præcipui hostes Ecclesię.	ibid.
39.	Tres notę Apostolicę Ecclesię.	ibid.
40.	Tria potissimum Ecclesia postulat a Deo.	141
41.	Pro tribus potissimum oratur.	ibid.
42.	Tres status in Ecclesia.	ibid.
43.	Tres status continentię.	ibid.
44.	Tres colores in scapulari Confraternit. SSS. Trin.	142
45.	Triplex corona in mitra Rom. Pont.	ibid.
46.	Tres coronę Rom. Imper.	143
47.	Episcopus a tribus alijs Episcopis consecratur, & tribus donatur.	ibid.
48.	Tres præcipuè honorandi.	ibid.
49.	Tria sabbata.	244
50.	Tria Sacrificia triplicis legis.	ibid.
51.	Tres figurę celebriores S. Eucharistię.	147
52.	Eucharistia, sicut omnia alia Sacramenta, tria significat.	ibid.
53.	Sacrificium Missę tria potissimum mysteria repręsentat.	146
54.	In principio Missę sacerdos dicit ter: mea culpa, & quare.	ibid.
55.	Ter Kyrie, ter Christe, iterum ter Kyrie Eleison.	ibid.
56.	Ter Agnus Dei.	147
57.	Ter: Domine non sum dignus.	ibid.
58.	Trina benedictio ante consecrationem	148
59.	Trina benedictio post consecrationem.	ibid.
60.	Tres hostię consecratę.	ibid.
61.	Sacerdos frangit hostiam in tres partes.	149



## INDEX

62.	Sacrificium Missæ tribus absolvitur.	ibid.
63.	Tres actus pœnitentiæ.	150
64.	Tria in omnibus Sacramentis.	ibid.
65.	Tres clavi dominicæ crucis, & tria ligna ejusdem	ibid.
66.	Tres modi formandæ crucis.	151
67.	Tres pulsus campanæ, & trino tempore.	ibid.
68.	Tres nocturni, tres benedictiones, tres lectiones.	152
69.	Tres psalmi in horis D. V.	ibid.
70.	Triplex attentio in horis	153
71.	Tria rosarij mysteria.	ibid.
72.	Rosarium Turcicum trium decadum, & trium globulorum.	ibid.
73.	Tria in oratione petenda.	154
74.	Tria decent Religiosum.	ibid.
75.	Tria commoda ex silentio	155
76.	Tria in locutione observanda.	ibid.
78.	Tria SSS.	156
79.	Tria per professionem Religiosus resignat.	ibid.
80.	Triplex motivum ad humilitatem.	158
81.	Tria C. & Tria Religionum fulcimenta.	ibid.
82.	Triplex gradus in statu justorum	ibid.
83.	Tria beneficia justis a SSS. Trin. consequuntur.	159

## SUBDIVISIO TERTIA

### Ex profanis Historijs & Exemplis.

• Symb. 1.	Tres stellæ in capite arietis.	Pag. 161
2.	Tria signa sibi conjuncta apud Astrologos.	ibid.
3.	Tria P. seu tres patriæ Patres.	162
4.	Tres seu trium rectores.	ibid.
5.	Tria P. Caroli quinti.	ibid.
6.	Trifnegistus, seu ter maximus.	163
7. & 8.	Triangulus.	ibid.
9.	Triarij apud Romanos.	164
10.	Tripolis, portus & civitas maris	ibid.
11.	Tripondium.	165
12.	Triclinium.	ibid.
13.	Trium-viri.	166
14.	Tripus Apollinis.	ibid.
15.	Tres Deæ.	167
16.	Tres Parcæ.	ibid.
17.	Tres Charites.	ibid.
18.	Trifaux Cerberus.	168
19.	Tricorpor Ceryon.	ibid.
20.	Tres Gorgones.	169
	L I	21. Tria



## INDEX

21.	Tria fercula Augusti.	ibid.
22.	Tria F.	ibid.
23.	Tria V. cavenda.	170
24.	Tres aves uno telo transfixæ.	ibid.
25.	Tres coronæ Agrippinenses.	171
26.	Tres proles.	ibid.
27.	Tria ad quæ Socrates hortabatur.	ibid.
28.	Tria, quibus parere numquam pœnitebit. Tria pessima Cappa. Tria A. Tria potentia M. Tres Reges ab Anti-Christo superandi. Tri. millia virorum a Sampsonè superata. Tria lilia in insigni Regis Franciæ. Tria nomina divinitus cruci insculpta. Tres cruces maris intumescentiam cohibentes. Tres characteres Sacramentales.	174

## D I V I S I O T E R T I A.

### S V B D I V I S I O P R I M A.

Ex creata Dei imagine.

Symb. 1.	Triplex creatura.	Pag. 176
2.	Tripliciter Deus est principium creaturarum.	177
3.	Tripliciter Deus est ubique	ibid.
4.	Tria in omni Spirituali creatura.	178
5.	Triples status felicitatis humanæ.	ibid.
6.	Tria genera animarum.	179
7.	Anima una in corpore triplicato.	180
8.	Tres animæ potentie.	ibid.
9.	Triples agnitio imaginis SSS. Trin.	181
10.	Tria humanarum actionum principia.	ibid.
11.	Tres operationes intellectus.	182
12.	Tres hominis appetitus.	ibid.
13.	Tres in homine Spiritus.	183
14.	Tres principes corporis partes.	184
15.	Co: hominis trigonum.	185
16.	Tres digitorum articuli.	ibid.
17.	Tria officula organi auditus.	ibid.
18.	Triples hominis ætas.	186

### S V B D I V I S I O S E C V N D A.

Ex Scientijs.

Symb. 1.	Scientiæ triplices.	Pag. 188
2.	Triples Theologia.	ibid.
		3. Tres



## INDEX

3.	Tres partes summæ D. Thom. Aquin.	189
4.	Triples Philosophia.	ibid.
5.	Triples scientia juris.	190
6.	Triples medicina.	ibid.
7.	Triples Scientia Mathematica.	ibid.
8.	Triples Grammatica.	191
9.	Triples Musica.	ibid.
10.	Tres formæ regiminis.	192
11.	Tres personæ in legitimo iudicio.	ibid.
12.	Prudentia tribus constat.	193
13.	Tres virtutes adjunctæ prudentiæ.	ibid.
14.	Triples abstractio penes Philosophos.	194
15.	Tres Syllogismi propositiones.	ibid.
16.	Tres termini Syllogismi.	ibid.
17.	Tres figuræ Syllogisticæ.	195
18.	Tria causarum genera.	ibid.
20.	Tres personæ penes Grammaticos.	196

## SUBDIVISIO TERTIA.

Ex vestigijs Dei & alijs naturalibus

Symb.	1. & 2. Tria in actione Physicâ.	197
3.	Tria sunt omnia.	ibid.
4.	Omnia fiunt vel a natura, vel ab arte, vel a casu.	198
5.	Tria in artifice.	ibid.
6.	Tria in corporali naturâ.	199
7.	Tria principia naturalia in fieri.	ibid.
8.	Tria sunt in composito in facto esse.	ibid.
9.	Triples proprietates Entis.	200
10. & 11.	tres gradus Entis.	ibid.
12.	triplex animæ vegetativæ operatio.	202
13.	Bonum consistit in tribus.	ibid.
41.	triplex bonum.	203
15.	tres corporum dimensiones.	ibid.
16.	triplex machina mundi.	ibid.
17.	tres aëris regiones	ibid.
28.	tres terræ zonæ	ibid.
19.	Tria in sole	ibid.
20.	Ignis in tribus potissimum locis	204
21.	Aqua etiam in tribus locis	ibid.
22.	triplex cælorum motus	205
23.	tria ex fontana scaturigine	ibid.
24.	Speculum triforine	ibid.
25.	triplex tempus	206
26.	tria in candela	ibid.





















































Th

5791